LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF ILLINOIS

VIRO CLARISSIMO

FRID. GUILIELMO ENGELHARDT

DOCTORI PHILOSOPHIAE PROFESSORI REGIO

ORDINIS R. BORUSS. DE AQUILA RUBRA EQUITI

GYMNASII GEDANENSIS RECTORI

QUINQUAGINTA ANNOS

IN ERUDIENDA AC REGENDA IUVENTUTE

FELICITER ACTOS

EX ANIMI SENTENTIA GRATULANTUR

GYMNASII

PROFESSORES ET MAGISTRI.

KAL. IUL. A. MDCCCLXVI.

THEOPHILI ROEPERI LECTIONES ABULPHARAGIANAE ALTERAE:
DE HONAINI VITA PLATONIS.

GEDANI.

Typis Edwini Groeningii.

Quod paucis mortalium evenire solet, ut, quem vitae cursum, non cogente necessitate ulla, sed ipsa ducente natura sua, inierint iuvenes, eum usque in senectutem per saeculi dimidium ita tenere possint, ut non modo suscepti muneris atque officii ipsos nullo tempore paeniteat, sed etiam bonae hominum existimationis grataeque eorum, quibuscum versati sint, memoriae fructum percipiant uberrimum: id Dei Optimi Maximi beneficio contigisse Tibi, ENGELHARDTE, Vir Clarissime, laeti lubentes profitemur hodie conlegae Tui atque ex animi nostri sententia gratulamur. Etenim cognoscere illam omnis doctrinae parentem antiquitatem, colere optimarum artium studia, informare ad humanitatem puerorum adulescentumque ingenia, dirigere eorum ad virtutem mores, ea Tibi semper iucundissima fuit oblectatio, id sanctissimum officium, id rerum secundarum ornamentum honestissimum, certissimum adversarum solacium. Eaque Tibi res effecit, ut post quinquaginta annos in opere faciundo actos supersit animi vigor prope iuvenilis promptaque ad omnes muneris partes obeundas alacritas. At festiva celebritate semisaecularem hunc agere diem parantibus nobis ea inciderunt tempora, quae cum Te domestico luctu adflixissent, universae iam rei publicae coeperunt esse gravissima.

Conticescat igitur necesse est omnis laetitiae clamor atque exsultatio; non tacebit tamen veniens haec de pectoribus nostris vox amicitiae testis atque venerationis, petens a Te, ut favere nobis, ut fecisti, pergas, precans a Deo Optimo Maximo, ut omni felicitate senectutem Tuam cumulet salvumque Te ac sospitem ad extremum humanae aetatis terminum conservet. Eam Tu vocem quaesumus ut secundi ominis loco accipias.

Kalendis Iuliis MDCCCLXVI.

Conlegium professorum et magistrorum Gymnasii Gedanensis.

Herbst. Czwalina. Brandstaeter. Roeper. Stein. Bresler. Lampe. Eichhorst.
Prutz. Blech. Redner. Schultz. Kreutz.

Lectiones Abulpharagianae alterae.

IV. De Honaini, ut fertur, vita Platonis.

Abulpharagianas lectiones abhinc annos duos et viginti incohatas resumo, non eas quidem ut perficiam nunc absolvamque, ne ut emendem quidem atque corrigam, sed ut intermissas data occasione promoveam aliquatenus. Quibus cum olim id egissem ut, quae de scriptoribus Graecis apud Gregorium illum Abulpharagium Barhebraeum vel in Historia compendiosa dynastiarum Arabice scripta vel in Chronico Syriaco sunt tradita, qua illa possent ratione ad Graecarum litterarum historiae locos nonnullos inlustrandos adhiberi meis quibusdam commentatiunculis experirer: quod quidem tunc instituebam, ut porro de Diophanti et Hypsiclis mathematicorum Alexandrinorum itemque de Iohannis Philoponi aetatibus et scriptis dissererem, in alias aliasque antiquitatis studiorum partes delatus dubito an iam, si velim, ne possim quidem efficere. Ac sane ego, instante hominis dilectissimi quinquagennalium gratulatione faustissima, in qua suae testificandae voluntatis me uti voluerunt interprete conlegae optimi, veritus sum aliquantisper in illud studiorum meorum quondam habitaculum remigrare iam oblivionis ac desuetudinis velut situ quodam obtectum et supellectile sua destitutum; neque ausus essem pedem inferre, nisi aliquis in eo exstaret locus paullo laetior, quem sperare poteram et ante certam diem aliquo modo posse pertractari et ei, cuius caussa haec scribuntur, propter argumenti cum iis quibus ipse maxime delectatur studiis quamdam coniunctionem nonnihil adferre posse voluptatis. De Platone enim suo ENGELHARDTUS noster quod quidem addoceri a me possit nihil prorsus esse iudico; sed idem tamen cernere illum Atticae philosophiae coryphaeum chalipharum in sede hospitantem, audire vetusta Actaeorum nomina Tigridis ad ripas resonantia parumper, opinor, quae est apud eum omnis doctrinae caritas, sustinebit.

Neque vero de doctrina Platonis, qualem informaverint Syri et Arabes, in animo mihi est disputare, quod etsi iam fieri potest uberius, postquam Muhammedis Schahrastanitae de religionis ac philosophiae sectis liber et Arabice editus est a Guilielmo Curetono Londinii a. 1842 et in Germanicum conversus a Theodoro Haarbrückero Halae a. 1850 et 51, ea tamen res, cui ne deesse quidem clara ingenia video, amplioris est eruditionis subtiliorisque diligentiae, quam cui ego me parem esse sentiam. Mihi vero liceat philologo magis esse quam philosopho et in vita Platonis ab Arabicis auctoribus scripta velut in penetralium istorum vestibulo consistere. Quam enim de vita Platonis narrationem inseruit Abulpharagius Historiae compendiosae dynastiarum p. 58 sq. (ed. Pococke

Oxoniae 1663), Barhebraeus Chronico Syriaco p. 54 sq. (edd. Bruns et Kirsch Lipsiae 1789), eam cum satis constet sumpsisse illum et contraxisse ex illa, quam a Gemaleddino Coptita (Ibn 'al Kophthi) conscriptam edidit Michael Casirius in Bibliotheca Arabico-Hispana Escurialensi I p. 301 sqq. (Matriti 1760), hac quoque ut comperi exstare locupletiorem tertiam et antiquiorem, nescio ignoratam eam magis a viris doctis an mire neglectam, digna ea mihi visa est, in qua cum Graecorum auctorum monumentis conferenda aliquot dies consumerem. Quo in argumento quae commentatus sum, nunc cum bona pace eorum, quibus haec studia cordi sunt, exhibituro mihi eadem quae olim (fasc. I p. 4) venia praefanda est, qui ad haec commentanda accesserim linguarum Arabicae et Syriacae peritia perexigua ac prope nulla et adparatu librorum hac in urbe non quidem nullo sed frigentibus fere post Rinckium ac Trendelenburgium his litteris curto mancoque, ut et interpretum ex fide res agenda sit, et scriptorum libris non modo eis qui nondum sunt typis exscripti, velut Ibn-Abi-Osaibiae et Muhammedis Isaaci f. cognomine Annadim, qui et Ibn-Abi-Iakub, — omitto alios, — sed iis quoque carendum sit, quos editos et in linguam aliquam occidentalem translatos, velut Ibn-Challikani et Hagii Chalphae, vel studiorum defectus vel pretii magnitudo ab huius terrarum anguli bibliothecis exclusit.*) Est autem eius rei illa fortasse non spernenda consolatio, quod mihi visus sum non temere suspicari, eas quibus deficimur copias ad Arabicos potissimum homines litterasque pertinere, in quibus elaborare non est nostrum, ad Platonis vitam minus pertinere, in cuius, ut omnino veterum scriptorum Graecorum, memoria referenda iisdem illi ex fontibus fere omnes inrigant hortulos suos adeoque inter se concinunt, ut saepe vix verbis discrepent, ut, quoniam principes quosdam auctores tenemus, de aliis illis iam non debeamus nimis esse solliciti. Denique rerum satis fortasse tritarum quarumdam ignorationem meam et in nominibus Asiaticis Latina litteratura exprimendis inaequalitatem viros doctos in Orientis litteris habitantes, si qui forte haec nostra inspicient, rogo, ut aequo animo ferant in homine peregrino, suisque ex copiis largiri velint, quae nostris nostrorumque studiis videantur esse profutura.

Iam, ut ad ipsam rem accedam, quoniam de Gregorio et Gemaleddino**) dictum a me est in superiore Lectionum Abulpharagianarum fasciculo p. 1 sqq. et 11, age, tertiam illam vitam unde petiverim et quis eius auctor esse videatur, paucis expromam.

---

*) Ibn-Abi-Osaibia, opere quod de celebrium medicorum vitis condidit luculentissimo clarus, obiit anno 1269. De eo cfr. Reiskii miscellan. aliquot observationn. medic. ex Arabum monimentis in Reiskii et Fabri opusculis medicis a Grunero editis (Halae 1776) p. 46 sqq. Schultens et Reiske ad Herbelot. bibl. orient. IV p. 697 ed. Hag. a. 1777—82 I p. 78 ed. Hal. a. 1785—89. Silv. de Sacy ad Abdallatiphi relation de l'Égypte (Parisiis 1810) p. 478. Flügel in Erschii et Gruberi allg. Encyclopädie d. Wissensch. u. Künste III, 6 p. 236 sq. Grässe allgem. Literärgesch. II, 2 p. 667 sq. Wüstenfeld Arab. Aerzte (Gottingae 1840) p. 133 sqq. Wenrich de scriptor. Graecor. versionibus et commentariis Syr. Arab. Armen. Pers. (Lipsiae 1842) p. XIII sqq. Sed et hic et Gemaleddinus plurima sua debere dicuntur Muhammedi Isaaci f., qui vergente saeculo Xmo de libris Graecis Persicis Indicis in Graecum conversis opus satis amplum composuit; de quo cfr. Wenrich p. XIV sqq. Flügel de Arabicis scriptor. Graecor. interpretibus (Misenae 1841) p. 6 sq. Hammer-Purgstall Literaturgeschichte der Araber (Vindobonae 1850—56) I p. CLXXII. Ibn-Challikan vixit ab a. 1211 ad a. 1282 et vitas illustrium virorum, scripsit, quas Ferd. Wüstenfeldus inde ab a. 1835 Gottingae edidit Arabice, et partim Mac Guckin de Slane Parisiis a. 1838 qui item in Anglicum conversas dedit Parisiis a. 1842; de eo cfr. Pocock. specim. histor. Arab. (Oxoniae 1650) p. 364. Herbelot v. Khalekan. Wüstenfeld Akademieen der Araber (Gottingae 1837) p. 100 sq. Flügel in Ersch. et Gruber. encyclop. II, 15 p. 28 sq., Grässe allgem. Literärgesch. II, 3 p. 1265 sq. a quibus etiam alii laudantur. De Hagio Chalpha, saeculi XVIImi scriptore, et Flügelius exposuit in editionis suae praefatione, et ante eum Gallandus praefat. Herbelot. bibl. orient. p. XXII Hag. XXIX Hal., Reiskens Lebensbeschreibung (Lipsiae 1783) p. 161 sq., post eum Wenrich p. XVI sqq.

**) De Gemaleddino adde Hammer-Purgstall LG. d. Ar. VII p. 125 sq. 723 sq.

Bibliothecae Nanianae codicum Orientalium Iacobi Nanii, nobilis Veneti, iussu catalogum fecit abhinc annos fere octoginta Pataviique Italico sermone scriptum edere coepit a. 1787 professor tum Patavinus Simon Assemanus [1]), natione Syrus e gente sectaque ecclesiae Latinae amica Maronitarum, cum Assemanis illis de litterarum Orientalium apud Europaeos cognitione praeclare meritis, Iosepho Simonio, Iosepho Aloysio, Stephano Euodio, quorum primus avi frater, Italice prozio, ab eo adpellatur, genere coniunctus. Codex quem quinto et tricesimo loco describit Arabicus est, chartaceus, formae quae dicitur octavae, paginarum viginti, aetatis incertae; est enim non integer et fragmentum vocatur ab Assemano. Argumentum sic indicat editor: *Compendio storico degli Haramisiti di Al Hakim Hainan ebn Isaac al-Obadi;* Arabice sonat *Mochtasser tarich al haramse taliph al hakim* e. q. s.; Wüstenfeldus Geschichte d. arab. Aerzte u. Naturforscher p. 28 interpretatur: *Compendium historiae Hermetum.* Al hakim sapientem significat, quo nomine Arabes philosophum et medicum adpellant. Nomen auctoris rectius vocatur Honain (حنين) quam Hainan (حينن), punctis diacriticis Ie et Nun litterarum inter se permutatis; nec dubie indicatur philosophus idemque medicus et interpres scriptorum Graecorum clarissimus Honain Isaaci filius Ebadita. [2]) Ebaditae sive Ibaditae, qui minus recte dici videntur Obaditae, adpellati a voce ebâd sive ibâd, qua servi i. e. cultores Dei sive homines religione ac pietate insignes significantur, erant, ut Abulpharagius p. 171 et Gemaleddinus ap. Casir. I p. 286 (Wenrich. p. 96) dicunt, Christiani e variis tribubus conflati, qui prope Hiram, (Syri Hirtam dicebant,) Babyloniae oppidum, in castella quaedam ab ipsis exstructa secesserant, et, ut ex iis intellegitur quae Sprengerus adtulit, Leben und Lehre des Mohammad I p. 14. 132, iam Muhammedis prophetae tempore quadam doctrinae ac litterarum laude florebant. Adde Pocock. specim. histor. Arab. p. 84 sqq. 137 ed. Oxon. 1650. [3]) Ex his Honainus patre apud Hirenses pharmacopola natus, secta Nestorianus, postquam Bagdadi sub Iohanne Mesue arti medicae, in Romani imperii finibus [4]) litteris Graecis,

---

[1]) Inscribitur liber: *Catalogo de' Codici Manoscritti Orientali della Biblioteca Naniana, compilato dall' Abate Simone Assemani, Professore di Lingue Orientali nel Seminario e Socio dell' Accademia delle Scienze, Belle Lettere ed Arti di Padova. Vi s' aggiunge l' Illustrazione delle Monete Cufiche del Museo Naniano. In Padova, della Stamperia del Seminario. MDCCLXXXVII. Con licenza de' Superiori.* Continet quinquaginta codicum ac totidem nummorum descriptionem. Altera pars edita fertur a. 1792.

[2]) Memoriae prodiderunt de eo Gemaleddinus ap. Casir. I p. 286 sq. Abulpharagius p. 171 sqq. Barhebraeus p. 173 sq. et ap. I. S. Assemanum biblioth. orient. Clement. Vatic. (Romae 1719—28) II p. 270 sqq. 438. Abulpheda annal. muslem. II p. 245, ut omittam Ibn-Abi-Osaibiam, Ibn-Challikanum, Ibn-Schonam a me non visos. E recentioribus dixerunt de eo I. S. Assemanus bibl. or. Cl. Vat. III, 1 p. 184 sq. Herbelot bibl. orient. v. Honain, Reiskius ad Abulphed. II p. 322. Lorsbach Archiv f. bibl. u. morgenländ. Literatur II p. 209. Weil Geschichte d. Chalifen II p. 281 sqq. 371. Hammer-Purgstall Litteraturgesch. d. Araber IV p. 338 sqq. Buhle de libr. Aristot. interpretibus Arabicis in Aristot. opp. I p. 320. 325. Gartz de interprett. Euclid. Arab. p. 25 et in Erschii et Gruberi Encyclopaedia II, 10 p. 353 sq. Flügel de Arab. scriptt. Graec. interpretibus p. 15 sq. et in Ersch. et Gruber. Encycl. II, 10 p. 354 sq. Wenrich de auctor. Graecor. versionib. et commentar Syr. Arab. Armen. Pers. p. 16 sqq. 26 sq. 96. Wüstenfeld Arab. Aerzte p. 26 sqq. Sprengel Gesch. d. Arzneykunde ed. tert. II p. 375 sqq. Ackermann institutionn. hist. med. §. 379. 380. Brucker histor. philosoph. III p. 28 sq. Ueberweg Grundr. d. Gesch. d. Philos. ed. alt. II p. 157. Grässe allgem. Literärgesch. II, 1, p. 481. 549 sq. alii ab his laudati, a me non visi.

[3]) Fuit eodem nomine secta Islamitarum, de qua Schahrastan. I p. 129. 151 sqq. et quos adfert Haarbrückerus II p. 405. 406.

[4]) Ita Gemaleddinus et Barhebraeus Abulpharagius. Ibn-Abi-Osaibia ap. Wenrich. p. 16 ait didicisse eum linguam Graecam Alexandriae, quo intelligitur sub chalipharum imperio ne tum quidem Alexandriae Graecas litteras interiisse. Cfr. Beniamin. Tudel. itinerar. p. 121 ed. Lugd. Bat. 1633.

Basorae [1]) linguae Arabicae operam dedit, magna apud chaliphas Mamunem ab a. 813 ad 833 et praecipue Motavakkelum ab a. 846 ad a. 861 regnantem gratia floruit, cuius non modo medicus primarius fuit, sed est etiam ab eo electus qui Graecorum libris linguae Syriacae Arabicaeque tradendis praeesset; qua in re et libris ipse interpretandis emendandisque superiorum interpretationibus et iuniorum interpretum studiis incitandis regendisque summam apud suos gloriam consecutus est aliorumque laudes obscuravit. Adversarii cuiusdam dolo in iconomachiae crimen adductus et zona (qua fortasse presbyter indicatur, cfr. Assem. bibl. Or. III, 2 p. 819) dissecta excommunicatus subitanea morte occubuit exeunte anno 873. [2]) Libri ab eo in linguam vel Syriacam vel Arabicam translati et partim etiam commentariis inlustrati dicuntur longe plurimi, et medicorum quidem

---

[1]) Hic enim et Cuphae, in urbibus ab Omaro illo chalipha secundo conditis, ab ipso paene Islami initio maxime florebant sermonis Arabici studia grammatica cum Corani religione coniuncta; Wüstenfeld Akademien d. Araber p. 4. Veth de institutis Arabum literariis p. 26. Fusius de iis disputavit Flügelius in Societatis Orientalis Germanicae Abhandlungen für die Kunde des Morgenlandes Vol. II n. 4.

[2]) Gemaleddinum auctorem sequimur, cuius haec verba exhibet interpres Casirius I p. 286: *E vita excessit feria 3 die 6 Saphari, anno Egirae 260, epochae Alexandrinae* (id est Seleucidarum) *die 1 Decembris 1185.* Optime haec inter se conveniunt. Annus Seleucidarum incipit die 1 Octobris 873; epocha enim eius aerae est dies 1 Octobris anni 312 ante Christum. Dies 6 Sapharis anni hegirae 260, ad aeram Christianam relatus ea ratione quam docet Idelerus Handb. d. mathem. u. techn. Chronologie II p. 487, itemque secundum tabulas Gravianas Ulug-Beigi Epochis celebrioribus (Londini a. 1650) subiectas, est dies 30 Novembris 873, i. e. epocha hegirae sumpta die 15 Iulii 622, ut solet in astronomicis; sumpta, ut solet in historicis, die 16 Iulii, est dies 1 Decembris. Eum autem verum esse, non 30 Novembris, qui placuit Wüstenfeldo, feriae numerus docet. Nam fuit dies 1 Decembris 873 dies Martis seu feria tertia. Docet etiam nominatus a Barhebraeo mensis Syrorum Canun prior, qui plane respondet Romanorum Decembri; vid. Ideler I p. 430. II p. 509 sq. Sed quod apud eumdem Barhebraeum p. 174 (Assem. bibl. Or. II p. 272) legitur annus Arabum 260 idemque Graecorum 1188, i. e. Christi 876, falsum est; is enim est hegiriacus 263, quem noluisset, opinor, pro 260 substituere Assemanus, si novisset Gemaleddinum: neque enim feria tertia neque mensis Saphar in eius anni diem 1 Decembris quadrant. Nec secutus esset Assemanum Flügelius, si rationem iniisset. Itaque apud Barh. numerus 8 mutandus est in 5 et littera numeralis He ponenda pro Cheth; mutatione facillima, si auctor, quem patre Iudaeo genitum contendit Silvester de Sacy ad Abdallatiph. p. 505 sq., tabulis usus videatur Hebraica litteratura exaratis. Quod vero Herbelotus scribit obiisse Honainum anno heg. 260 vel 261, non aliud putem quam annos male conlatos ignorato die ac mense emortuali; debebat enim certe 259 vel 260. At Reiskium additam. ad Herbelotum (IV p. 741 Hag. II p. 745 Hal.) scribentem, natum esse Honainum anno heg. 194, Chr. 809, mortuum heg. 264, Chr. 877, auctore usum esse Ibn-Abi-Osaibia, ut nunc perspicitur ex Hammeri Purgstalli historia litterar. Arab. IV p. 341, ita iam olim coniicere licebat ex eo quod Bruckerus histor. philosoph. III p. 29 nisus auctoritate Freindii histor. medic. II p. 10 (quem librum ipsum non vidi,) teste Ibn-Abi-Osaibia refert, vixisse Honainum annos centum (nempe lunares) ab a. heg. 164 usque ad 264, i. e. 780 Chr. ad 877. Crediderim equidem numerum quaternarium hic e natali anno inrepsisse in fatalem. Hammerus quidem p. 341 anni 877 aerae Alexandrinae, quam dicit, etiam diem nominat tertium Decembris, mense dieque Arabico omisso; verum et omissione ea et Alexandrinae aerae mentione atque cum Christiana confusione prope permoveor, ut non ab Ibn-Abi-Osaibia id eum accepisse, sed — est enim in continuandis contrariis non ita morosus vir Ἀραβικώτατος, — ex Gemaleddinianis, ut sunt apud Casirium, male conflasse iudicem. Ea autem, uti dixi, poscunt annum 873. In anno natali codex Leidensis, quo Reiskius utebatur, videtur convenire cum Vindobonensi, quo Hammerus; a quibus sive differt ille nescio an Bodleianus, cuius partem interpretandam sibi curaverat Freindius, sive numerus ille 164 lapsui typothetae tribuendus est, quamquam etiam proclivior est lapsus iis in cifris quibus utuntur Arabes quam iis quas Arabicas nunc vocant Europaei, illud non sine caussa Wüstenfeldus p. 28 adnotavit, videri annum natalem paene vicennio ante 194 ponendum, assentientemque sibi habuit Weilium p. 282. Ac sane tam multa sunt, quae iam sub Mamune i. e. ante annum 833 magna Honainum floruisse litterarum laude clament, ut videri non debeat adulescentulus tum fuisse et per aetatem vix satis eruditus. Itaque erratum puto in numero 194 et, si codicis auctoritate nitatur numerus 164, eum substituendum, ut vixisse dicatur Honainus ab a. 164 ad a. 260 heg. i. e. 780/781 — 873 Chr. Sunt vero etiam alia plura in vita Honaini, de quibus nec secum ipsi nec inter se satis consentiant auctores Arabici Syriacique; quae nunc disceptare, quoniam non scribimus illius viri historiam, omittimus.

Hippocratis, Dioscoridis, Galeni, Oribasii, Pauli Aeginetae, mathematicorum Euclidis, Archimedis cum Eutocio, Autolyci, Menelai, Ptolemaei, Apollonii Laodiceni, somniorum interpretis Artemidori, philosophorum Platonis, Aristotelis, Nicolai Damasceni,[1]) Alexandri Aphrodisiensis, Porphyrii, Themistii. Quorum etsi nonnulli non tam ipsi quam filiis eius ac discipulis deberi atque etiam omnino perperam ei tribui videntur, doctrina tamen hominis elucet, qui si magnam horum partem tum primus in illas linguas gentiumque illarum notitiam transferebat, incredibili eum apud suos fama florere necesse erat, ut, si qua ferrentur oblitterato interpretis nomine, facile ipsi tribuerentur. Accedebat quod trium peritus linguarum, Graecae, Syriacae, Arabicae, et quartae etiam, si Ibn-Abi-Osaibiae (Wenr. p. 16. Hammer-Purgstall p. 340) credimus, Persicae, multis poterat occurrere ac mederi erroribus, in quos facile inciderent, qui aut, Arabes cum essent, Graece nescirent, aut natione Syri linguae Arabicae usu atque elegantia non satis essent inbuti. Etenim, ut omittam linguam Persicam, in quam scriptorum Graecorum, inprimis Platonis et Aristotelis, libros Chosrois iussu Iustiniani tempore translatos esse Agathias histor. II, 28 significat, e qua cum fieri sane posset ut non modo vernacula et Indica ad Arabes sed etiam Graeca migrarent, nihil tamen ea de re traditum est: illud certe constat, non ex ipsis Graecis Arabicos factos esse libros plerosque, sed interveniente plurimos lingua Syriaca, quae cum esset eadem qua Arabica stirpe genita, tum iam pridem receptis in se Graecorum scriptis, ecclesiasticis quidem plerisque sed nonnullis etiam saecularibus, ad eam rem praeclare erat adcommodata. Verum ea res utcumque se habet, Platonem certe qui Arabice loqui docuerit, nemo, quod quidem sciamus, fuit ante Honainum; et quod exstare apud Syros Platonis scripta Assemanus dicit bibl. or. II p. 315, id quale sit nescitur, propterea quod neque a quo neque quo tempore translata sint indicavit.

Sed tempus est ad librum Nanianum reverti. Quem quod totum, quatenus quidem totus est, Latinum fecit Simon Assemanus, rem sane fecit nobis gratissimam; sed cum et ipse dixisset in praefatione: *La traduzione dei passi che cito è libera, cioè non servilmente letterale*, et ego, conlatis quae apud Casirium leguntur Gemaleddinianis, quorum hic fons adparet, id vere dictum cognovissem, petivi ab homine doctissimo mihique amicissimo, Abrahamo Stein, rabbino tum Gedanensi nunc Pragensi, his litteris tum maxime operam danti, ut ex ipsis Arabicis ab Assemano adiectis vitae quae inest Platonis novam mihi faceret interpretationem, quam ille summa cum fide factam ante hos fere novem annos mihi dedit Germanicam, ut, sicubi Casirium potius quam suum auctorem exprimere vel elegantiae magis quam fidei studere videretur Assemanus, facile iam possem de ea re existimare. Gratias quas coram pridem egi viro humanissimo nunc publice iterare iuvat.

Eo igitur in libro pauca praefatus auctor de philosophiae origine, quam ad Edrisium illum fabulosum refert cum Hebraeorum Henocho et Graecorum Hermete Aegyptiorumque Thoth ab Arabibus confusum, mentionem se facturum ait de illis philosophis, *qui quocumque tempore et ex quacumque regione et secta immortale Edrisii nomen reddiderunt.* Quae verba cum ostendant cur Hermetum historiam librum suum auctor inscripserit, — ipse enim princeps ille atque ἀρχηγέτης philosophiae Hermes Hermetum adpellatur, — tum nescio quomodo admonent Ἑρμαΐκης illius σειρᾶς Platonicorum (Eunap. vit. soph. p. 9 Boiss. Procul. ad Plat. Tim. III p. 231 c. Marin. vit. Procul. 28.

[1]) Huius compendium sive epitomen philosophiae Aristotelicae iam ante Honainum in Syriacum vertisse Iacobum Edessenum episcopum, saeculo p. Ch. n. VIImo, scribit Wenrichius p. 7 et 11, quod non debui omittere lectt. Abulph. I p. 36, quamquam non concinere videntur loci ab eo laudati Assemaniani.

Olympiodor. in Plat. Alcib. pr. p. 20 ed. Creuzer.) ab Hermete Trismegisto suspensae[1]) auctoremque videntur indicare philosophia inbutum in ea Graeciae parte ubi quaedam etiamtum occulte serperent velut propagines doctrinae Neoplatonicae, in qua quanta vis fuerit Mercurii illius Aegyptii tum Iamblichi docet qui inscribitur de mysteriis liber tum praeter ipsa quae aetatem tulerunt scripta Hermetica veterum auctorum Graecorum Latinorumque Cyrilli, Iohannis Stobaei, Ammiani Marcellini, Lactantii, Augustini testimonia servataeque ab iis scriptorum particulae. Servaturum se ait auctor *ordinem alphabeticum*; unde percommode accidit, ut Edrisium posset in ipso operis initio collocare, cuius nomen inciperet a littera Eliph, eique subiungere, nominibus ab eadem littera incipientibus, Amonem et Asclepium, quorum etiam apud Graecos cum Hermete isto commenticio intima quaedam coniunctio est, velut in Poemandris[2]) capp. 2. 6. 9. 10. 14, in Apulei Asclepio, in iis quae sunt apud Stobaeum *ἐκ τῶν πρὸς Ἄμμωνα, ἐκ τῶν πρὸς Ἀσκληπιόν,* in Hermetis iatromathematicis, Iamblichi myst. 8, 5 all. Verum ego, etsi non ita male meriturum putem de antiquitatis atque humanitatis historia, qui istos litterarum, ut ita dicam, angiportus a vicomagistris i. e. philologis et historicis fere neglectos perreptare et superstitionis, mendacii, ignorantiae, incuriae sordibus oppletos ita expurgare sustinuerit, ut aliqua certe adpareat etiam in his ingenii humani virtus, — ego, inquam, inmorari iis neque huius loci ac temporis neque meae facultatis esse arbitror; neque magis ea, quae p. 56 sq. in Asclepii vita secundum Iohannem Grammaticum de medicorum clarorum aetatibus referuntur et numeris et nominibus monstruose depravata[3]) tentare, quamquam subnatae sunt coniecturae nonnullae, aut vacat aut libet. Sed non debemus omittere quod extremae vitae Edrisii p. 51 sq. adscripta sunt verba Solimanis Hassani f. cognomine Ebni-Gialgial, — ita Italice scripsit Assemanus, — de Hermete, hisque rursus inserta de eodem sententia Abu-Maasciari, quorum prior Cordubae medicus et vitarum scriptor floruit saeculo Xmo centum fere post Honainum annis, alter astrologus saeculo IXno Bagdadi aequalis fere Honaino fuit.[4]) Verum qui abiudicare eam ob rem totum libellum ab Honaino velit, ei responderim equidem, esse illa eo loco posita, ut, si pro additamento docti librarii habeantur vel ex adnotatione lectoris cuiuspiam inlata putentur, inscriptioni fides constet. Neque obstat quod iterum p. 55 in vita Asclepii eiusdem Ebn-Gialgialis sententia infertur, quae tam aperte incidit orationem atque interrumpit, ut dubitari quin insitiva sit non possit. Gravius esse putaverit aliquis, quod p. 47 in vita Edrisii non longe ab initio citatus est Sahrestanii, i. e. illius quem ego Muhammedem Schahrastanitam nominavi, locus qui est in Haarbrückeri interpretatione II p. 3 et 61. Nam ne hunc quidem citare potuit Honainus,

---

[1]) Ita Ritterus et Prellerus histor. philos. Graec. et Rom. § 546 not. d. ed. alt.; sed vereor ut res sit pertractata.

[2]) Poemander inscribi solet commentatiuncularum Hermeticarum congeries illa, quam post Turnebum, Flussatem, Patricium et interpretem Germanicum Tiedemannum nuper edidit Gust. Partheyus Berolini 1854. Debebat certe Poemandres, qui est Graece *Ποιμάνδρης*, ut non Zoroaster, sed Zoroastres *Ζωροάστρης*. Sed debetur nomen istud uni primae commentationi argumenti gnostici, in qua Poemandris persona est. Adscribere liceat nonnullas emendatiunculas meas, omissis quas alii occuparunt: §. 4. *εὔδιόν τε* pro *ἥδιόν τε.* §. 7. *περιέχεσθαι* pro *περισχέσθαι.* §. 8. *τὸ πρόαρχον τῆς ἀρχῆς ἀπέραντον* pro *τὸ προϋπάρχον τῆς ἀρχῆς ἀπεράντου.* §. 10. *ἄλογα* pro *τὰ ἄλογα.* §. 11. *περιέχων* pro *ὁ περιέχων: ἔτι εἶχε* pro *ἐπεῖχε.*

[3]) Eadem contractiora exhibet Gemaleddinus in vita Hippocratis ap. Casir. I p. 236 nominibus non minus corruptis.

[4]) De Ibn-Golgol (Dscholdschol) vide Ibn-Abi-Osaibiam ap. Silv. de Sacy ad Abdallatiph. relation de l' Égypte p. 495 sqq. Cfr. Flügel in Ersch. et Grub. encyclop. II, 15 p. 30 sq. Wüstenfeld Arab. Aerzte p. 57. Wenrich. p. 220. Hammer-Purgstall LG. d. Ar. V p. 346 sqq. De Abu-Maaschar (Abulmasar, Albumasar, Apomasar) Abulphar. p. 161 sqq. 178 sq. Gemaledd. ap. Casir. I p. 351. Herbelot. v. Abu Maaschar c. add. Reiskii et Schultensii. Hammer-Purgstall IV p. 311 sqq. et quos citat Grässe Hdb. d. allgem. Literärgesch. II, 1 p. 514.

natum a. 1086, mortuum a. 1153.[1] Sed hunc quoque locum ut additicium esse putemus plura sunt quae suadeant, quod et pugnat cum superioribus et salva sententia eximi potest, et Schahrastanitae copiis si uti voluisset auctor libri et plura et graviora adtulisset. Quamquam quae apud Barhebraeum p. 5 sq. Abulpharagium p. 7 sq. leguntur et, quantum quidem ex iis quae Casirius I p. 375 sq. excerpsit coniiciatur, ea quoque quae Gemaleddinus de Hermete Asclepioque scripsit, tum sunt hoc ex fonte hausta, quum iam esset additamentis illis auctus, quae in ipso fonte facile discernuntur, in haustis non item.[2] Res ita videtur explicari posse, ut Honaino, cum velut scholae cuidam interpretum praeesset, idem fere quod Aristoteli evenisse statuamus, ut libri ab ipso primum conditi, sed a discipulis et successoribus interpolati, ne sic quidem tribui ei atque eius sub nomine ferri desinerent. Interpretationes quidem certe aliorum ab ipso denominari solitas memoriae proditum est. Certius autem ea de re iudicari poterit, cum Gemaleddini et Muhammedis Isaaci f. libris non iam frustatim uti licebit.

Sequitur p. 57 sq. locus de Empedocle, nam hoc quoque nomen ab Eliph littera incipit. Quem quod dicit *de creatione mundi et de aliis rebus* locutum esse et scripsisse, potest id quidem ad Empedoclis περὶ φύσεως librum pertinere; quod tempore Davidis floruisse eum ait et a Locmano sapiente philosophiam in Syria accepisse, cum ceteris Arabibus halucinatur, v. Schahrast. II p. 90 sq. Abulpheda hist. anteislam. p. 153 sq. Barhebr. p. 18 sq. Abulphar. p. 33; cfr. Wenrich p. 90 sq. Immanis est sane error temporis, nec suppetit tanti lapsus caussa, praesertim in eo qui Graeciam vidisset. Et Abulpheda quidem auctorem sequitur, ut ipse ait, Schahrastanitam; reliqui, quibus etiam Gemaleddinum et Ibn-Abi-Osaibiam addere forsitan licuerit (Wenr. p. IX. Wüstenf. Ar. Aerzt. p. 133), libri alicuius suppositicii fraude decepti videntur, qui dubito an ne Graece quidem umquam scriptus fuerit; certe interpretis nulla fit mentio; sed iis temporibus conditus, quibus Abbasidae chaliphatu nuper potiti et Motazalarum haereses invalescentes et nascentia Graecarum litterarum studia invicem sese adiuvarent, exornatus autem eo nomine, quod Graecae sapientiae splendorem offunderet, eaque antiquitate, qua adversarii, aeque nimirum rudes in temporum ratione, obstupefierent ac profligarentur, sive is liber metaphysicus ille fuit, quem solus Hagius Chalpha commemorat, sive is, quo hic et Abulpharagius Barhebraeus immortalitatis ac resurrectionis doctrinam oppugnari tradunt; quorum in alterutro exstabat doctrina de excludenda ab essentia divina attributorum pluralitate (Abulph. p. 33. Barh. p. 18. Schahr. p. 91). Sed his quidem in tricis extricandis quid iterum satagemus, frustra iam olim plura moliti I p. 6 sqq.? Neque vero debemus omittere quae apud Honainum, postquam de creatione mundi et de aliis rebus scripsisse et locutum esse Empedoclem dixit, subsequuntur verba interprete Assemano: *At eius doctrina a pluribus arguitur. Empedoclis libros inveni inter eos, quos Alscek Al Fateh Naser ben Ibrahim Hierosolymitanus Domui sanctae in legatum reliquit, illosque attente legi, nec ullum errorem animadverti. Empedocles habuit suo tempore asseclas, novissime vero inter Mosleminos, qui ipsius doctrinam amplexi sunt, adnumerantur praecipue Mohamed ben Abdollah Algiabali Albatni ex Cartaba, et Abu Al Hezil Mohamed ben Al Hezil e Bassora.* Etenim si meminimus Motazalarum sectis propriam fuisse eam quae hic Empedocli tribuitur de attributis essentiae divinae opinionem (cfr.

---

[1]) Haarbrücker I praefat. p. IX sq. Pocock. Spec. histor. Arab. p. 368. Herbelot. v. Scheherestani c. n. Reiskii. Fleischer ad Abulphed. hist. anteisl. p. 211. Hammer-Purgstall Litteraturgesch. der Araber VII p. 685 sq.

[2]) Pro Schahrastanita Sabios dicit Abulpharagius, Barhebraeus *sunt qui dicant.*

Abulphar. p. 81. 105. Schahrast. I p. 42 sq.), horum in principibus habendi videntur illi duo, quorum mentio facta est in verbis extremis. Atque Abu Al Hezil Mohamed ben Al Hezil dubitari vix potest quin sit ille sectae Motazaliticae auctor Abul Hudsail Hamdan Ibn Abul Hudsail apud Schahrast. I p. 26. 48 sqq. 212. 214; qui prorsus eodem quo apud Honainum nomine adpellatur ab Ibn-Challikano et sectarum scriptore Tahiro Ispharainita Abul Hudsail Muhammed Ibn al Hudsail, teste Haarbrückero II p. 397. Mortuus ille est a. 849 (Haarbr. II p. 386) vel paucis annis ante (Hammer-Purgstall LG. d. Ar. IV p. 205), fuitque Honaini fere aequalis. Alter vix dubitaverim quin sit Abu Ali Muhammad Ibn Abd al-Wahhâb al-Dschubbâi ap. Schahrast. I p. 28 sq. 45. 80 sqq.; certe Giabali (الجبلى) et Dschubbâi (الجبائى) vix tenui lineola differunt ac facillime permutantur (cfr. Reisk. ad Herbelot. v. Giabali), nec altera mutatio, Abdallah in Abdalwahhab sequente syllaba *al*, ante quam *ab* et *abu* et *abi* saepe intercidunt, gravior est, si quid video, quam quae in ista litteratura ferri queat. Mortuus dicitur a. 915 (Haarbr. II p. 401 ex Ibn-Challikano), secundum alios a. 933 natusque a. 861 (Hammer-Purgstall IV p. 207), ut peradulescentulus tantum videre potuerit Honainum senem. Sed cum plenum nomen apud Hammerum sit Ebu Haschim Abdesselam Ben Ebi Ali Mohammed el-Dschobbaiji Ben Abdolwehhab Ben Selam Ben Chalid Ben Homran Ben Abau secundum Ibn-Challikanum, is de quo loquimur huius videtur pater et prioris illius atque Honaini aequalis. Cognomen Albatni ad Batinitarum sectam pertinet, quae postea quidem in Assassinos illos ab expeditionum sacrarum scriptoribus commemoratos Drusosque hodiernos degeneravit, sed orta iis Abbasidarum chalipharum temporibus, in quae Honaini aetas incidit (Schahrast. I p. 193. 219 sq.), initio doctrinam sequebatur Motazalarum de attributis divinis persimilem (Schahr. I p. 222); ut is, a quo vel ipso vel eius filio sectae nomen tractum est Gobbaitarum, ipse antiquioris sectae nomen gessisse videatur. Denique Cordubensem Basoram petisse non magis mirum quam alios ex Hispania plurimos [1]), nec magis consedisse eum in vicinia urbis eius et a Gobba vico cognomen invenisse. Sed scheich ille Hierosolymitanus Abul (sic enim scribere debebat Assemanus ex Arabico) Fateh Naser ben Ibrahim, si idem sit quem Wüstenfeldus Akad. d. Arab. p. 33 [2]) in academiae quae Damasci floruit Gazzalicae doctoribus posuit Abul-Fath Nasr Ben Ibrahim Ben Dawud el Mocaddesi i. e. Hierosolymitanus; quoniam is obiit die 17 Decembris a. 1096, verendum est ne operam perdamus in vindicando Honaino totusque quem tractamus libellus evadat nobis *ψευδεπίγραφος*. Nam pro insitiva ut hanc quoque memoriam habeamus vix nobis persuademus, aegre enim excernitur. Sed theologum iurisque interpretem Muhammedanum orthodoxum, qui decem ante mortem annis urbem sanctam reliquisset, libros quibus haeretici uterentur legasse pietatis caussa templo, opinor, Saracenico Hierosolymitano, atque annis non paucis post, — brevi enim inciderunt Francorum invasiones qui duodenonaginta annos urbem tenuerunt, — cum sectarum studia pridem deferbuissent, perlegendis illis quemquam et ad religionis orthodoxae normam examinandis vacasse, aliquanto minus est credibile verique simile, quam factam rem esse calentibus etiamtum sectarum originibus ac nuper inlata exterae philosophiae notitia, i. e. primo fere Abbasidarum saeculo, et hominem Nestorianum alterum possedisse ac legasse illis temporibus talem librum,

---

[1]) Cfr. p. 4 n. 1 et Middeldorpf de institutt. literarr. in Hispania quae Arabes auctores habuerunt (Goettingae 1810) p. 61. Poterat is hunc indici Arabum ex Hispania peregrinantium addere.

[2]) Auctore Ibn Schohba in Classibus Schafeitarum. Vixit is scriptor ab a. 1377 ad 1447; cfr. Wüstenfeld l. l. p. V sq. Flügel ap. Ersch. et Gruber. II, 15 p. 25. De Nasro adde Hammer-Purgstall VI p. 324.

alterum Graecis litteris intentum legisse erroresque nullos animadvertisse. Nam et fuisse tum Hierosolymis episcopos Nestorianos certum est (Assem. bibl. Or. III, 2 p. DCCLVI), et quae monophysita Abulpharagius refert de Empedoclis circa essentiam divinam doctrina p. 33 (Barh. p. 18 sq.) deque Motazalarum p. 105, eadem fere de Nestorianis tradit Muhammedanus orthodoxus Schahrastanita I p. 265, qui etiam dicit eadem se ratione habere Nestorianos ad euangelia qua Motazalas ad legem Islami, atque affinem esse illorum doctrinam doctrinae Abu-Haschimi, qui fuit Abul-Hudsailis, de quo diximus, filius et cum patre sectae Motazaliticae princeps (Schahr. I p. 80). Itaque factum equidem putaverim, ut iisdem quidam nominibus Hierosolymis viveret homo fere ducentis quinquaginta ante illum annis, tritavus fortasse vel tritavi pater, et Narses fortasse apud Graecos pro Nasro dictus, ut Honain Iohannicius. Viderint de his doctiores. De Empedocle item, an aliqua in ista fraude partes egerit Procli vel nominis vel *φιλοσοφουμένων* similitudo. Sed haec hactenus.

Sequitur agmen cogens p. 58—63 vita Platonis, qui, Aphlatun ab Arabibus dictus, nomen habet ab Eliph littera incipiens. Hanc iam integram, additis quas Gemaleddinus et Abulpharagius Barhebraeus scripserunt, proponam adiecta adnotatione mea, qua satis bonis illam auctoribus conditam et non liberam quidem erroribus multis nec tamen indignam esse, cuius ratio habeatur, ostendam.

Plato.

„Plato Aristonis filius inter laudatos quinque philosophos Graecos[a]) longe praestantior, ac perspicacior[c]), una cum Socrate Pythagoram audivit, et post Socratis excessum claruit.[d]) Plato e nobili doctoque genere originem ducit, naturae arcana intime penetravit, et de philosophia eiusque partibus libros scripsit[e]), quibus quantum ingenio excelluerit facile dignoscitur. Discipulis suis philosophiam inter deambulandum tradebat, quapropter *Peripatetici* eius asseclae appellati sunt.[f]) Postremo vitae suae curriculo religioni, ac pietati[g]) totum se devovit; et anno octogesimo, seu, ut aliis placet, uno supra octogesimum, diem supremum obiit.[h]) Poetico stylo in adolescentia flo[59]ruit, ac suasore Socrate ad Pythagoricum Licaeum se transtulit.[i]) Plurimos habuit asseclas, inter quos praecipuum locum tenet laudatus Aristoteles, qui post Platonis decessum, Platonicae philosophiae haeres habitus est.[k])

Ait Isaac[l]) Platonem a Socrate philosophia imbutum diemque ultimum obiisse eodem anno, quo Magni Alexandri ortus statuitur[m]), anno nempe 13 Seleuci[n]) Regis, quo tempore Philippus Alexandri pater Macedoniae regnum occupabat. Platonis scripta hocce ordine a Theone[o]) afferuntur:

I. (Ex Gemaleddini historia philosophiae, interprete Mich. Casirio I p. 301 sq.)

„Plato natus est Athenis patre Aristone, viro pernobili, ex Solonis genere, qui Atheniensibus leges dedit, iisque urbem Salaminam a Megarensibus ereptam restituit, unius[b]) ex septem Graeciae Sapientibus, quos inter maxima auctoritate valuit et dicendi arte gratissimus atque eloquentissimus fuit.[c]) Quum iunior esset, Musis mirum in modum indulsit. Quum vero Socratem poetas ac poesim ut rem fictitiam taxantem, et ad verum imprimis perquirendum adhortantem audiisset; libris poeticis combustis sese in eius disciplinam tradidit.[i]) Deinde Pythagorica doctrina imbutus, Moralia et Physica, de quibus multos ac celebres conscripsit libros, amplexus est. Sectatores inambulans docebat, qui Peripatetici inde appellati.[f]) Vixit annos LXXXI[h]), obiitque eo ipso, quo Alexander natus est, anno:[m]) Aristotele discipulo, Philosophiae quasi haerede, instituto.[k]) Scientias adipiscendi cupiditate flagrans, laborem omnem ac studium in illis comparandis collocavit: nec ulli unquam sumptui ad earum libros coemendos pepercit: adeo ut eius rogatu Dion Philolai Crotoniatae de secta Pythagorica Libros III centum

Politicorum Liber ab Honaino Isaaci filio[p]) Arabice conversus — Liber de Legibus, quem Arabicum fecere Honainus, et Jahia ben Adi.[q]) Ex his vero Libris, qui Platonis amicorum nomine circumferuntur, sunt

Theages de Philosophia Liber — Laches de Fortitudine Liber — Aristoteles[r]) de Philosophicis disciplinis Liber — Charmides de Temperantia Liber — Hippias[s]) de Pulchro Libri duo — Eutydemus de vera Sapientia Liber — Alcyon[t]) Libri duo — Gorgenas[u]) Liber — Eutyphron Liber — Theaetetus[v]) Liber — Phaedon Liber — Criton Liber — Philetus[w]) Liber — Politicus Liber — Phrathilus Liber: scribendum Cratilus[x]) — Socostus Liber: scribendum Socrates[x]) — Timaeus liber a Jahia ben Adi castigatus[z]) — Parmenides Liber — Phaedrus Liber — Midon[aa]) Liber — Minos Liber — [60] Hipparcus Liber[bb]) — Menexenus Liber — Clitophon[cc]) Liber — Timaeus Libri III[dd]) — Liber de Comparationibus[ee]) — Liber de Unitate[ff]) — Liber de Intellectu, de Anima, de Substantia[gg]), et Accidente — Liber de Sensu, et Delectatione[hh]) — Mnesistratus[ii]) Liber — Liber de Juvenum moribus[kk]) — Liber de Geometriae Elementis[ll]), praeter alias eius Epistolas, quae adhuc extant.[mm])

Idem Theon ait *in Quaternitates: Plato Libros suos digessit*[nn]) *juxta methodum, quam adhibendam in erudiendis discipulis voluit.*

Floruit Plato tempore Artaxersis, qui Longimanus[oo]) dicitur, regis Persarum, alias *Scitasof*[pp]) appellatus, ad quem Zoroaster se contulit. Platonis Genealogia ita a Theone describitur:[qq]) Platonis Pater Ariston Aristofalis[rr]) Atheniensis filius, eiusque Mater Periction[ss]) Glauci[tt]) filia, utrique a nobili genere originem ducunt. Mater enim a Solone, qui Atheniensibus leges dedit, eisque Salaminam a Megarensibus captam recuperavit. Solonis frater fuit Dorindus[uu]), cuius saepe meminit Plato in Carmine[vv]), Dorindi filius Ocritus[ww]), de quo idem Plato in Timaeo, Ocriti filius Philostorgius[xx]), Philostorgii Glaucus[tt]), Glauci Charmides, Charmidis autem soror Periction[ss]), quae et Poctona[yy]) vocatur, Platonis Mater. Quapropter Sextus a Solone descendit. Platonis autem pater a Codone[zz]) Melini[aaa]) filio, qui a Posidonii[bbb]) progenie fuisse perhibetur, genus ducit.

illi minarum pretio sit mercatus.[nnn]) Quamobrem ter in Siciliam navigavit; ac primum ardentis Aetnae visendae gratia[ooo]), cuius ignis erumpens aestate decrementum, hyeme vero incrementum iugiter accipiebat, dominante scilicet id temporis Dionysio tyranno, qui Platonem, ubi eius adventum intellexit, accivit; precatusque ut aliquid de Rhetorica et Poetica coram proferre vellet, viri eloquentiam ac in dicendo suavitatem maxime expertus est. Quum autem aliquando inter confabulandum dixisset Plato eam ceteris praestantiorem esse vitam, quae legibus institutisque munita sit; Tyrannus hac eius sententia mores suos ac tyrannidem perstringi ratus[qqq]), illum Polydi[sss]) interficiendum tradidit. Is eum ad Aeginam urbem patriam secum transtulit, ibique vivum vendidit cuidam nomine Amporio (forte Annicerio)[uuu]), Platonis amico, eiusque morum studioso. Dion ergo memorati supra Dionysii propinquus, Platonis familiarissimus, audito illius casu, eumque aegre ferens, ad Amporium minas triginta illius redimendi causa clanculum misit; at ille renuens, Hic philosophus (inquit) sui iuris est: quem ego ut servitute eximerem, pretium numeravi.[vvv]) Dionysium vero, ubi Platonem in libertatem iam vindicatum esse cognovit, poenituit facti: quare literas misit, quibus et illius molliret animum, et se de re male patrata purgaret; ab illo interim postulans ut eius nomen nec in concionibus nec in carminibus carperet. Cui Plato: Non mihi tantum superest otii, ut Dionysii meminisse vacet.[www]) Iterum in Siciliam Plato rediit spe Libri De Legibus, quem ei Dionysius pollicitus erat, accipiendi.[xxx]) Tertio demum, ut Dionem, qui in Dionysium tyrannum insurgens, maiorem Regni partem in libertatem asseruerat, illi reconciliaret. Itaque Plato, cui semper visum est Rei publicae felicitatem et requiem ex sapientissima administratione unice pendere, Librum De Legibus scribere aggressus est.[yyy])

Scholae Platonicae sectatores sunt:[A]) Speusippus Atheniensis, Platonis ex sorore nepos, Xenocrates Chalcedonius, Aristoteles Stagirita, Proclus Nithinensis[B]) Philippus Opuntius[B]), Hestiaeus Perinthius, Archytas Tarentinus, Dio Syracusanus, Nicolaus[C]) Aristeanus[D]), Coriscus Scepsius, Timolaus Cyzicenus, Enaeon Lampsacenus, Menedemus Eretriensis[E]), Heraclides Aenius, Hippothales et Philo[F]) Athenienses, Demetrius Amphipolites, atque alii complures.

Porro Melinus fuit in armis valde strenuus, nobilis, optimique consilii vir, nec non vafer, sublestaeque fidei. Bactiorum[ccc]) acies, quae contra Athenienses irruperant, profligavit. Eo tempore Bactiae Chianes[ddd]), Athenis Amuthias[eee]) regnabant. Itaque quum a Chiane ad [61] singulare certamen lacessitus Amuthias timore perculsus recusaret, tunc eius loco sese obtulit Melinus, eo tamen pacto, ut Regnum illi post victoriam pro mercede remaneret. Annuente Amuthia, Chianes et Melinus ad certamen venere, in eoque strenue pugnatum est. Dumque magno uterque ardore confligerent, Melinus, quem vi non poterat, fraude superare aggreditur, et, Siste, inquit, recede; satis pugnatum est.[fff]) Ipse interea in adversarium terga vertentem audacter irruit, eumque occidit. Quare haec dies Athenis solemnis fuit, ut quolibet anno in huius facti memoriam festa celebrarentur, quae a Graecis *Apachinuria*[ggg]), et corrupto vocabulo *Apathuria*, hoc est fraudis festa vocabantur. Nec omittendum, Codonem Melini filium se hostibus, et morti tradidisse, ut patriam liberaret. Denique Graeci tanti Platonem faciunt, ut a Divinitate ipsius genus ducant.[hhh])

Plato ad Poesim et Musicen primum se applicuit, et excelluit, librosque composuit; hinc nondum vigesimum aetatis annum pertingens Pythagoram audivit, quod magno philosophiae acquirendae desiderio flagraret, postea ad Euclidis amicos se contulit, et mortuo Pythagora Socratem quaesivit[iii]), quem in magno hominum coetu a Dionysio Tyranno collecto de philosophia disserentem invenit.[kkk]) Pythagoricae philosophiae acquirendae cupidus, versus, quos composuit, ipse igni dedit[lll]), et Socrati se addixit: tunc annum agebat vigesimum, et quinquaginta[mmm]) annis Socratis familiaritate est usus, ut non modo Pythagoricam, verum etiam Socraticam philosophiam plane adeptus fuerit..... Sapientiae cupidus Plato, Philosophorum scripta, ac praesertim Pythagorae libros summa diligentia quaesivit, et magno etiam pretio comparavit. Dioni mandavit, ut a Philolao tres huius philosophi libros pretio emeret, quos centum denariis acquisivit[nnn])... Hoc scientiarum amore ductus ter in Siciliam navigavit, primo ut Aetnaea miracula, crateresque videret[ooo]), quae magis [62] hyberna, quam aestiva tempestate flammas evomere dicuntur. Hanc Insulam vi occupaverat quidam Dionysius Graecus, in eâque tyrannidem exercebat. Cum itaque Tyrannus hic

Platonis scripta hocce ordine Theon Alexandrinus[o]) refert: Politicorum Liber, ab Honaino Isaaci filio[p]) Arabice conversus; Liber De Legibus, quem Arabicum fecere Honainus, et Iahia Ben Adi.[q]) Ex iis vero Libris, qui Platonis Amicorum nomine circumferuntur, sunt: Liber Theages de Philosophia; Liber Laches de Fortitudine; Liber Aristoteles[r]) de Philosophicis disciplinis: Liber Charmides de Temperantia: Hippias[s]) de Pulchro, Libri II. Liber Euthydemus de vera Sapientia: Alcyon[t]), Libri II: Liber Gorgias nuncupatus[u]): Euthyphron Liber: Theaetetus[v]) Liber: Phaedon Liber: Liber Criton: Liber Philebus[w]): Liber Politicus: Liber Phrathilus (scribendum Cratylus): Socostus Liber (scribendum Socrates)[x]): Timaeus Liber, a Iahia Ben Adi castigatus[z]). Parmenides Liber: Phaedrus Liber: Midon Liber[aa]): Minos Liber: Hipparchus Liber[bb]): Menexenus Liber; Clitophon Liber[cc]); Timaeus, Libri III[dd]); Liber De Comparationibus[ee]): Liber De Unitate[ff]); Liber De Intellectu, de Anima, de Substantia[gg]) et Accidente: Liber De Sensu et Delectatione[hh]): Liber Mnesistratus:[ii]) Liber De Iuvenum moribus[kk]): Liber De Geometriae Elementis[ll]), praeter alias eius Epistolas, quae adhuc extant.[mm])

Platonis Epitaphium. Hic iacet vir divinus, qui omnes temperantia et morum integritate superavit. Quicunque sapientiam prae ceteris rebus laudaverit, hunc maxime laudet, utpote in quo maxima eiusdem pars fuit.[L]) Ex altera tumuli parte legebantur haec: Humi Platonis corpus solum iacet; illius vero anima mortis exsors Immortalium adscripta est numero.[M])

IIa. (Ex Gregorii Abulpharagii historia dynastiarum, interprete Ed. Pocockio p. 58 sq.)

„Mortuo Socrate, Platonem prae ceteris celebravit fama; virum illustri prosapiâ, utpote qui paternam genus à Posidonio[bbb]) duceret, maternum à Solone Atheniensium legislatore. Fertur juvenis arte Poeticâ excelluisse, cum autem eam doctrinae partem prae caeteris omnibus a Socrate infamiâ notatam videret, libros suos Poeticos combussisse, séque illi in discipulum quinquaginta annos tradito Philosophiam ab ipso Pythagoricam didicisse.[i]) Tria statuit rerum principia, Deum,

Platonis adventum rescivisset, eum ad se vocavit, qui cum accessisset, apud ipsum Socratem ppp) vidit. Qua occasione Tyrannus, Insulae Doctos Sapientesque collegit, Platonemque, ut loqueretur impulit; ubi cum ille de Philosophia dissereret, plura etiam contra tyrannidem data opera protulit. Inter alia ait, hoc unum praestare, ut unusquisque sanctis legibus se submittat: quae verba cum Dionysius in se retorqueri intellexisset, graviter tulit. Porro Tyrannus cum Poesi, tum Sophisticae philosophiae incubuerat, quare Sophistam potius, quam Philosophum diceres, et de hoc philosophandi genere scripta reliquit, habuitque asseclas, etc. qqq)...... Enimvero Tyranno de Felicitate cum Platone disserenti, et contendenti Heraclam Poetam verè felicem fuisse (hic autem Poeta celebris fuit, ac plura in Dionysii laudem cecinit, cuius carmina idem Dionysius in Delubris appendit) Plato respondit, ut a Jove genus ducens Heraclas, felix, at ut Poeta, improbus, ac infelicissimus dicendus. rrr) His verbis offensus Tyrannus Platonem Polido sss) Lacedaemonio, qui per id tempus legatus ad se venerat, tradidit, ut eum occideret; at Polidus Agathiam ttt) adduxit, eumque vendidit 30 *menis* cuidam Ambaro uuu) Cyrenaico. Cum hoc Dioni, qui Dionysio sanguine conjunctus erat, et Platonem libenter amplectebatur, pervenisset, Platonis casum aegrè ferens, ad Cyrenaicum minas triginta illius redimendi causâ clanculum misit; at ille renuens, *Hic Philosophus* (inquit) *sui juris est, quem ego ut servitute eximerem pretium numeravi, et quantocius in patriam suam revertetur.* Cum re infecta Dioni nuncius haec retulisset, tunc Dion Academiam 30 minas misit, quibus hortos duos emit, et Platoni dono dedit, ex quorum proventu Plato usque ad obitum se sustentavit. vvv) Itaque cum Tyranno relatum esset quae Platoni contigerant, poenitentia ductus scripsit [63] illi, orans, ne in se maledicta intorqueret; ad quem rescripsit: Non tantum sibi a philosophia superesse otii, ut Dionysii meminisset. www) Secundo profectus est ad Dionysium, ut librum de Legibus, quem illi Tyrannus promiserat, nec promissa persolverat, obtineret: at cum in Insula seditionem adversus Tyrannum concitatam invenisset, re infecta reversus est. xxx) Tertio demum accessit, Dionem Dionysio reconciliaturus, a quo tanquam seditionis auctor fuerat expulsus. Patriam inde revertitur, et cum rogaretur, ut patrias leges mutaret, novasque sanciret, noluit, asserens, quod apud vetustatem obtinuit, evellere arduum. yyy) Duas habuit mulieres, Alsatiam ex Arcadia, et

Hylen, et Formam. Ideas etiam specificas, extra res existentes, omníque materiâ nudatas adstruxit: quin et animarum transmigrationem, quas etiam ante corpora extitisse affirmavit. E discipulis suis qui coelibem vitam agere non sustinerent, plures unius uxoris participes esse permisit; cùm ita et sumptui parceretur, et mutuo auxilio abundè prospiceretur. Enumeravit Theon Alexandrinus o) triginta tres libros ab ipso conscriptos, e quibus, qui nunc extant, sunt Phaedon, Timaeus, Liber de legibus, Politica. Obiit annos natus octoginta duos h), relictis hortis binis, servis binis, poculo uno, unà cum inaure, I) quam auris extremitati appensam in nobilitatis suae signum gestare solebat; cùm reliquas facultates suas neptibus suis ex fratre dotandis impendisset. K) Sepulchro ipsius inscriptum fuit: Hîc situs est vir Divinus, qui omnes quotquot sunt homines, scientiâ, castitate, intellectu, et morum probitate antecelluit: et quicunque Sapientiam laudaverit, eum eâdem operâ laudat; utpote in quo maxima ejusdem pars fuit. L) Ex altera tumuli parte haec legebantur: Heus terra, licet corpus Platonis tegas, ad animam tamen ipsius immortalem propiùs accedere non potes. M) Scholae eius post ipsum praefuit Speusippus patrui ipsius filius." k)

II b. (Ex Gregorii Abulpharagii sive Barhebraei chronico Syriaco, interprete P. I. Brunsio, adscitis emendationibus G. G. Kirschii, F. G. Mayeri, G. H. Bernsteinii.)

P. 33 „Darius Nothus annos 19...... Plato haeresin trium principiorum non creatorum evulgavit, Deum, hylen, et formam; docuit etiam migrationem animarum a corporibus in corpora, non exclusis insectis et reptilibus. Voluit etiam uxores plurium maritorum communes esse. Doctrinae eius adhaesit Epicurus. k) Aristoteles annos natus 17 percepit philosophiam a Platone."..... P. 34 sq. „Perses filius Ochi annos 4. Hoc tempore floruerunt Socrates Plato Aristoteles philo-

Amutiam ex Philippis.[zzz]) In edocendo optima methodo utebatur; quocirca doctos discipulos post se reliquit, [A]) inter quos *Speusippus* Atheniensis Platonis ex Sorore nepos, *Xenocrates* Chalcedonius, *Aristoteles* Stagirita, *Proclus* Nithinensis [B]), *Hestiaeus* Perinthius, *Archytas* Tarentinus, *Dio* Syracusanus, *Nicolaus* [C]) Aristeanus [D]), *Coriscus* Scepsius, *Timolaus* Cyzicenus, *Evaeon* Lampsacenus, *Menedemus* Eretriensis [E]), *Heraclides* Aenius, *Hippothales*, et *Philo* [F]) Athenienses, *Demetrius* Amphipolites, atque alii complures.

Plato itaque cum inter deambulandum doceret, eius Asseclae Peripatetici nomen sortiti sunt. [G]) Obiit annos natus octoginta unum [H]), relictis hortis binis, poculo uno, una cum inaure [I]), quàm auris extremitati appensam in nobilitatis suae signum gestare solebat, cum reliquas facultates suas Neptibus ex fratre dotandis impendisset. [K]) Sepulcro ipsius hoc Epitaphium fuit exsculptum:

Hic jacet vir divinus, qui omnes temperantia, et morum integritate superavit. Quicunque Sapientiam prae ceteris rebus laudaverit, Hunc maximè laudet, ut pote in quo maxima eiusdem pars fuit. [L])

Ex altera tumuli parte legebantur haec:

Humi Platonis corpus solùm jacet; illius vero anima mortis exsors Immortalium adscripta est numero. [M])

sophi. Plato mortuus est anno aetatis 82. [h]) Eum excepit Speusippus, non Aristoteles [k]), eo quod, licet discipulus eius esset, a doctrina eius discederet, cumprimis quod dogma transmigrationis animarum spectat, quo quidem in dogmate Platoni valde adversatus est. ...... Socrates et Plato a Pythagora philosophiam acceperunt. [d]) Mortuo Socrate Plato famam nactus est. Theon Alexandrinus [o]) triginta tres libros enumeravit a Platone conscriptos, inter quos sunt liber politices, de legibus, Phaedon et Timaeus. Prosapia eius paterna et materna senatoria fuit; ex patre enim originem ducit a Posidonio [bbb]), ex matre a Solone, qui Atheniensibus leges tulit. Alii dicunt Platonem quum adhuc iuvenis esset, in poetica excelluisse, postea Socratis auditorem quum videret, hanc artem a Socrate reiici, libros poeticos quos acquisiverat combussisse. Adhaesit igitur Socrati, cuius discipulus fuit, annos 50. [i]) Didicit autem ab eo philosophiam Pythagoraeam. [d]) Mortuus reliquit hortos multos, duos servos, calicem unum, pateram et inaurem, [I]) quam iuvenis auri suae appenderat in signum nobilitatis generis sui. Ceteras opes ad desponsandas filias fratris sui reliquit et inter amicos suos distribuit. [K]) Sepulcro eius inscriptum erat: Hic situs est vir divinus, qui omnes homines superavit sapientia, modestia et morum integritate. Quapropter quicunque sapientiam laudat, illum laudat, quia ei plenitudo sapientiae inerat. [L]) Alteri lateri sepulcri inscriptum erat: Heus terra, etiamsi corpus Platonis tegas, ad animam ipsius appropinquare non potes, quia immortalis est. [M])

Adnotatio.

a) Honain p. 57 de Empedocle: *Hic fuit primus e quinque Ioniae philosophis, quorum nomina sunt: 1. Empedocles, 2. Pythagoras, 3. Socrates, 4. Plato, 5. Aristoteles.* Barhebraeus p. 18: *Empedocles, philosophus magnus, qui fuit una quinque columnarum sapientiae, scilicet ille et Pythagoras, Socrates, Plato et Aristoteles.* Iisdem verbis Abulpharagius p. 33. Philosophos Graecos dividunt Arabes in veteres, quos columnas sapientiae vocant, et recentiores; Schahrastan. II p. 80. Sunt qui in veterum numero habeant septem sapientes, non illos quidem qui volgo feruntur, sed Thaletem Milesium, Anaxagoram, Anaximenem, Empedoclem, Pythagoram, Socratem, Platonem, columnasque has philosophiae adpellent, Aristotelem recentioribus adnumerantes, ut Schahrast. II p. 81 sqq., qui p. 117 Platonem veterum atque columnarum ultimum dicit.

b) De septem sapientibus vid. not. a. Pro *unius* scribere debuit Casirius *unus.* Nam quod apud Arabes Aristo interdum scribitur pro Aristotele, non debet huc pertinere. Illud etiam dubito an non *septem* scripserit Gemaleddinus, sed *quinque.*

c) Minus haec adcurate Assemanus quam Casirius.

d) Ne haec quidem satis adcurate reddidit; debuerat fere sic: *accepitque* (disciplinam) *a Pythagora Graeco, habuitque in accipiendo socium Socratem, neque claruit eius memoria inter sapientes Graeciae nisi post mortem Socratis.* Quod vero Pythagorae discipulum Socratem facit, Platonis condiscipulum, erroris socium Barhebraeum habet. Sed in computandis veteris Graeciae temporibus vehementer saepe falli Arabes, quippe historiae eius rudes et ad eam cognoscendam

ipsa prope natura inhabiles, mirari, adsuetudine dedocente, desivimus. Huius autem erroris ea fortasse caussa fuit, quod, cum Platonem Pythagoreis operam dedisse constaret, Socrates, cuius sub persona Plato docere sua solet, in Platonis Timaeo, quem Arabice interpretatus est Honainus (Wenrich. p. 118), ipse se docendum praebet homini Pythagoreo.

e) Immo sic: *Plato generosa stirpe fuit inter domos Graecorum, ex domo erudita, potitusque fuit omnibus partibus physicae et praeclara de generibus sapientiae scripta conposuit.* Vides Assemanum non nimis fideliter interpretatum; quem tamen non notabo, nisi si quid gravius in sententiis neglexisse videbitur.

f) Latius hoc apud Arabes pervagatum fuit; cfr. Herbelot v. maschaioun. Quid quod apud Schahrastanitam II p. 137 inveniuntur Academici peripatetici? Quid quod etiam Stoici in Hagii Chalphae loco Ibn-Chalduni sententiam referentis ap. Silv. de Sacy ad Abdallat. p. 242? Nec Academici quidem sine auctoribus. David comment. in Aristot. categor. p. 23 sq. ed. Brandis: *ἕβδομος τρόπος [τῆς ἐπωνυμίας] τῶν κατὰ φιλοσοφίαν αἱρέσεων ὁ ὀνομασθεὶς ἀπό τινος συμβεβηκότος, ὡς οἱ Περιπατητικοὶ ἀπὸ τοῦ Πλάτωνος κατὰ περίπατον τὴν συνουσίαν ποιουμένου διὰ τὸ ἅμα τῇ ψυχῇ τὸ σῶμα γυμνάζειν. Καὶ τῶν ἀνθρώπων ἀναχωρήσαντος διαδέχεται τὴν σχολὴν αὐτοῦ Σπεύσιππος ὁ υἱὸς τῆς Πρωτώνης* (sic) *ἀδελφῆς τοῦ Πλάτωνος · οὐκ ἐτύγχανε γὰρ τηνικαῦτα παρὼν ὁ Ἀριστοτέλης · μετασταλεὶς γὰρ ἦν ὑπὸ Φιλίππου ἐν Μακεδονίᾳ ἐπὶ τὸ παιδεῦσαι τὸν υἱὸν αὐτοῦ Ἀλέξανδρον............ ἐκεῖθεν δὲ ὑποστρέψας ὁ Ἀριστοτέλης διαδέχεται τὴν σχολὴν τοῦ Σπευσίππου σὺν Ξενοκράτει, καὶ ἀμφότεροι ἐλέγοντο Περιπατητικοὶ τοῖς τόποις διαφέροντες · οἱ μὲν γὰρ ἐκαλοῦντο Λύκειοι Περιπατητικοὶ ὡς* (delendum) *οἱ Ἀριστοτελικοί, τῶν δὲ Ξενοκρατείων ἐξέλιπε τὸ τῆς ἐνεργείας ὄνομα καὶ ἐκαλοῦντο Ἀκαδημιακοί. Περιπατητικοὶ οὖν ἐκαλοῦντο οὐχ ὅτι κατὰ περιπάτους ἐξηγοῦντο, ἀλλ' ὅτι διεδέξαντο τὴν σχολὴν τοῦ Πλάτωνος, διὰ μέσου Σπευσίππου, κατὰ περιπάτους ποιούμενου τὰς ἐξηγήσεις.* Idem fere ab Ammonio tradi adnotavit Casaubonus ad Laertium V, 2. Quippe postquam confundi coepta est Platonis philosophia cum Aristotelis, nihil adtinebat vetera sectarum nomina disterminare; ut aut exaequarentur inter se aut prorsus omitterentur. *Recentiores* enim *philosophi nobilissimi*, ut verbis utar Augustini de civit. dei VIII, 12, *quibus Plato sectandus placuit, noluerunt se dici Peripateticos aut Academicos, sed Platonicos.* In quibus nominat Plotinum, Iamblichum, Porphyrium, Apuleium. Platonem autem ambulantem docuisse indicio est versus Alexidis comici ap. Laert. III, 27: *ἄνω κάτω τε περιπατοῦσ' ὥσπερ Πλάτων.* Atque ipse Aristoteles, ut ait Epicurus ap. Athen. VIII p. 354 b, *ἀναπεπταμένου τοῦ Πλάτωνος περιπάτου παραβαλὼν ἑαυτὸν προσεκάθισε τοῖς λόγοις.* Et propter Aristotelis simultatem, ut scribit Aelianus var. histor. III, 19, *ἀποστὰς ὁ Πλάτων τοῦ ἔξω περιπάτου ἔνδον ἐβάδιζε σὺν τοῖς ἑταίροις.* Cfr. Ions. dissertat. de histor. peripatet. § 3 p. 419 sq. ed. Elswich.

g) Vox *ibâda* adorationem et cultum Dei significat, cui quod Platonem dicit se devovisse vel ad eam secessisse, sui fortasse ipsius cognominis atque originis memor, id quorsum in Platonis vita referam non habeo, et in recentiores Platonicos, Plotinum, Iamblichum, Proculum potius quam in ipsum veterem illum Academiae principem convenire arbitror. Nisi forte, quod in posterioribus dialogis ac praecipue Timaeo inest cum quadam indole religionis ac divinitatis ea pars philosophiae qua *τὰ θεολογούμενα* continentur, inde ortam dixeris vitae cuiusdam asceticae atque anachoreticae fabulam. Similiter Christiane non Platonice dixit Gualterus Burleius c. 52 de vita ac moribus philosophorum ac poetarum: *Fuit insuper Plato virtuosus in mortificatione libidinum.* Etenim adhibito loco Macrobii comment. in somn. Scipion. I, 13, 5 sqq. respicit quod Plato in Phaedone dicit mortem philosophantibus adpetendam et ipsam philosophiam esse meditationem mortis. Hesychius Milesius, vitt. philoss. *Πλάτων ὁ φιλόσοφος λέγεται μὴ γάμον τινὰ μηδὲ ὁμιλίαν σώματος καθάπαξ ἀνασχέσθαι.* Item Suidas. Auctor *προλεγομένων τῶν περὶ τῆς Πλάτωνος σοφίας* c. 1 p. 197 ed. Hermann (Plat. dial. vol. VI): *οὐ μόνον δὲ τὰ ὀνείρατα ταῦτα δηλοῦσιν αὐτὸν Ἀπολλωνιακὸν ὄντα, ἀλλὰ καὶ τὸ εἶδος τῆς ζωῆς αὐτοῦ καθαρτικὸν ὄν.*

h) Immo: *Vixit annos octoginta; sunt autem qui unum et octoginta annos vixisse dicant.* Dissentiunt Gemaleddinus qui annos eum LXXXI vixisse scribit et Abulpharagius qui obiisse annos natum octoginta duos, itemque Barhebraeus, apud quem mortuus dicitur *filius 82 annorum* i. e. 82 annos natus verius quam anno aetatis 82. Apud auctores Graecos Latinosque eadem deprehenditur famae varietas. Velut uno et octogesimo anno mortuum dicit Cicero de senect. 5, 13 et Censorinus de die natali 15, 2 et, qui testibus Aldobrandino et Menagio ad Laert. III, 3 Ciceronem sequitur, Hieronymus in epistola ad Nepotianum de vita clericorum. Annos vixisse unum et octoginta Laertius III, 3. Auctor *τῶν προλεγομένων* c. 6 p. 201. Seneca epist. 58 (VI, 6, 27). Lucianus (?) macrob. 21. Augustinus civit. dei VIII, 11. Senecam exscripsit Burleius. Altero et octogesimo anno decessisse Valerius Maximus VIII, 7, ext. 3. Duos et octoginta annos vixisse Athenaeus V p. 217 b et cum Eudocia Suidas v. *Πλάτων.* Singulare est quod apud Laertium III, 3 scribitur: *Νεάνθης δέ φησιν αὐτὸν τεττάρων καὶ ὀγδοήκοντα τελευτῆσαι ἐτῶν:* ubi equidem *τεττάρων* scriptum puto pro *δ'* idque olim vitio lectum pro *δυ* i. e. *δύο* vel *δυοῖν.* Rem ipsam disceptare non vacat. Certissima eorum fides esse videtur, qui anno uno et octogesimo obiisse scripserunt.

i) Verborum flosculis captandis sententiae partem Assemanus pessumdedit. Dicit Honainus Platonem primo tempore se dedidisse arti poeticae, deinde cum Socratem audisset reprehendentem eam artem eiusque sectatores, relicta ea transisse ad audiendum Pythagoram. De Socrate artem poeticam damnante quod eum secuti scribunt Gemaleddinus et Abulpharagius Barhebraeus, e Platonis Politia confictum videtur, quam in Arabicum converterat Honainus. Laertius III, 5:

ἔπειτα μέντοι μέλλων ἀγωνιεῖσθαι τραγῳδίᾳ πρὸ τοῦ Διονυσιακοῦ θεάτρου Σωκράτους ἀκούσας κατέφλεξε τὰ ποιήματα, εἰπών, Ἥφαιστε, πρόμολ' ὧδε· Πλάτων νύ τι σεῖο χατίζει (Il. Σ, 392) · *τοὐντεῦθεν δὴ γεγονώς, φασίν, εἴκοσιν ἔτη διήκουσε Σωκράτους.* Socrate mortuo duodetriginta annos natum narrat Megara cum aliis quibusdam Socraticis cessisse, inde Cyrenen se contulisse ad Theodorum mathematicum, inde in Italiam ad Pythagoricos Philolaum et Eurytum. Olympiodorus vit. Plat. p. 192 ed. Hermann: *ἐποίησε δὲ καὶ τραγικὰ ποιήματα καὶ διθυραμβικὰ καὶ ἄλλα τινά, ἅπερ πάντα κατέκαυσε τῆς Σωκράτους πειραθεὶς διατριβῆς, εἰπών τι τοιοῦτον ἔπος· Ἥφαιστε κτέ.* Auctor prolegomenon p. 199 similiter. Apuleius de dogmate Platonis I, 2 sq. iisdem quibus Laertius vestigiis institit. Add. Aelian. var. histor. II, 30. Eustath. ad Il. Σ, 392. De Socratis apud Arabes cum Pythagora commixtione quam unus hic effugit Gemaleddinus, iam ante dictum est n. d. — Anni 50 apud Abulpharagium Barhebraeum ne librarii culpae deberi videantur, prohibet idem numerus infra etiam ab Honaino positus et apud utrumque omnibus litteris scriptus. Sed tamen librarius aliquis in culpa fuit, a quo est denarius numerus ita corruptus in quinquagenarium, ut Nun litteram scriberet pro Iud Syriaca vel Ie Arabica, quarum in utraque litteratura discrimen est pertenue, et quibus iidem qui Graecis Iota et Ny numeri notantur. Fidem facit auctor prolegomenon p. 199: *μετὰ δὲ τοῦτο ἐφοίτησε Σωκράτει καὶ δέκα ἔτη παρ' αὐτῷ ἐποίησεν ἠθικὴν φιλοσοφίαν ἐκμαθεῖν βουλόμενος.* Ubi nollem Hermannus et in editione Parisiensi Westermannus scripsissent *δέκα* pro *ι*, quod ipsum per itacismum natum est ex *η'*, quo verus numerus denotatur, non ille tamen inferendus prolegomenis Honaini et Abulpharagii Barhebraei caussa. — Schahrastanita II p. 117 sq. dicit Platonem accepisse doctrinam a Socrate et Timaeo et duobus hospitibus, altero Atheniensi, altero Eleatico. Scilicet magistros Platonis facit eos, quorum personis usus est Plato in dialogis ad suam sententiam demonstrandam, et hospite quidem Atheniensi in Legibus, Eleatico in Sophista et Politico; ut nugatus sit, quisquis fuit, qui Xenophontem et Xenophanem significari Haarbrückero persuasit, vel de Cratylo et Hermogene cogitandum esse propter Laertii locum III, 6, quem ego semidocti cuiusdam additamentis adulteratum esse olim docui in Schneidewini Philologo I p. 654 sqq.

k) Omiserunt Honainus et Gemaleddinus Speusippi mentionem, in qua diligentiorem se praebuit Barhebraeus Abulpharagius. De patrui filio errorem natum suspicor ex confusione Graecorum vocabulorum *ἀδελφιδοῦ* et *ἀνεψιοῦ* vel, in quo etiam facilius erat errare, *τοῦ ἐξ ἀδελφῆς* (ut ap. Euseb. praep. euang. XIV, 4, 14) et *ἐξαδέλφου*. Cfr. Lobeck. ad Phrynich. p. 306. Nauck Aristoph. Byzant. p. 143 sqq. Thom. Magist. eclog. v. *τίθην* p. 361 ed. Ritschl. Tzetz. chil. X, 875 sqq. — Epicurum Platonis discipulum expediat qui poterit. Dixeris Platonem confusum cum discipulo suo Xenocrate, cuius quidam faciebant Epicurum ipso nolente auditorem; Laert. X, 1. 13. Euseb. praep. euang. XIV, 20, 10. Cicero nat. deor. I, 26, 72. Sed dubito an minus docte erratum sit. Platonem quemdam Epicureum habes apud Ciceronem epist. ad Q. fratr. I, 2, 3.

l) Est hic Honaini filius Isaacus, cuius de vita cfr. Flügel de Arab. script. Graec. interpr. p. 16 sq. et apud Erschium et Gruberum II, 10 p. 355. Wüstenfeld Arab. Aerzte p. 29. Hammer-Purgstall LG. d. Ar. IV p. 353 sqq. Reiske ad Herbelot. v. Honain. Weil Gesch. d. Chalifen p. 282 sqq. 371. Gartz de interpr. Eucl. p. 27 et ap. E. et Gr. II, 10 p. 354. Buhle Aristot. opp. I p. 325 sq. Sprengel Gesch. d. Arzneyk. II p. 378. Fuit medicus et interpres clarissimus et in regenda, ut ita dicam, interpretum schola patris successor. Vertit Platonis Sophistam (Wenr. p. 121), Galeni in Platonis Timaeum commentariorum libros tres extremos (Wenr. p. 258), commentarium Platonis secundum Macidorum (Flügel de interpp. p. 17) i. e. Olympiodori in aliquem Platonis dialogum commentarios (lect. Abulphar. I p. 24. 35). Reliqua viri studia ad Aristotelem eiusque interpretes Graecos, ad Galenum, ad mathematicos Graecos pertinuerunt. Obiit anno heg. 298 (910—911 Chr.) Incohata a patre perfecit, errata emendavit, omissa supplevit. Ita hanc quoque inseruisse videtur adnotationem, ut patris de Platonis magistro errorem corrigeret. Quae enim sequuntur a verbis *diemque ultimum* nihil necesse est in oratione Arabica suspendere, ut fecit interpres Assemanus, ab illis *ait Isaac*. Simplex nomen indicium est de semet ipso loquentis.

m) Error, cuiuscunque est, inde natus videtur esse, quod quo anno obiit Plato, eodem relictis vel propter magistri mortem Athenis vel propter exardescens Athenienses inter et Philippum bellum Olynthicum Aristoteles in Asiam profectus (Dionys. Hal. ep. ad. Amm. I, 5. Laert. V, 9) putaretur in Macedoniam se contulisse ad erudiendum Alexandrum, id quod re vera annis quinque post factum est. Poterat autem ad hunc errorem accedere alter, si accepta illa epistola, qua sperare se Philippus significaverat fore ut recens sibi natus filius ab Aristotele educaretur (Gell. noct. Att. IX, 3), hunc statim ad illud munus obeundum se contulisse fingerent. Sic idem annus exsistebat nascentis Alexandri et morientis Platonis. Sed talia iam Alexandrinos peccasse Platonicos eosdemque Aristotelios, Ammonii sive Philoponi exemplo docui Ztschr. für die Alterthumswissenschaft 1852, 2, c. 141.

n) Error plane ridiculus; sed videtur hominem decepisse auctoris Iudaei scriptura; est enim سلاوخوس totidem litteris של אוכוס i. e. *Ochi*. Ochum constat regnare coepisse ol. CIIII, 3, annis fere antequam mortuus est Plato tredecim. — Alius est Silucus (سيلوخس) philosophus, cognomento Amon, unus e quattuor regibus Hermetis Trismegisti discipulis, de quo dixit p. 48 et 53. Eum non expedio.

o) Alexandrinum hunc Theonem facit Abulpharagius Barhebraeus; Gemaleddini verbis id nomen addidit interpres Casirius. Quod cum non magis apud Honainum conpareat, videndum est ne idem hoc loco quod aliis plurimis commiserit

Abulpharagius, et ne is quidem solus, ut, quem aliquatenus cognitum haberet scriptorem exterum, in eum, quidquid ab auctore cognomini profectum invenisset, conferre non dubitaret. Quod cum ei haud dubie evenerit in duobus Theonibus Alexandrinis mathematicis (lect. Abulph. I p. 23), si perperam Theonem Platonicum dixit Alexandrinum, certe non peius erravit Iohanne Doxopatro, saec. XII scriptore Graeco, qui in commentariis ad Aphthonii et Hermogenis progymnasmata (Rhett. Graecc. ed. Walz II p. 523. Anecd. Graec. Oxon. ed. Cramer IV p. 168) id praeceptum tribuit Theoni Platonico, quod tribuere debebat progymnasmatum auctori; cfr. Theon. progymn. 11. Hermogen. progymn. 10. Aphthon. progymn. 12. Idem autem esse Theon is, quem scriptores citant Arabici, atque is, cuius de Platonis stirpe sententiam refert Proclus comm. ad Plat. Tim. I p. 26 a., eo nunc etiam certius creditur, quod idem stemma Platonis in hac ipsa de qua commentamur vita ad Theonem auctorem refertur. Sed Alexandrinusne is fuerit an ille Smyrnaeus, cuius *τῶν κατὰ τὸ μαθηματικὸν χρησίμων εἰς τὴν τοῦ Πλάτωνος ἀνάγνωσιν* libri de arithmetica et de astronomia servantur, quod magis nunc ut credam inclinat animus, isque Smyrnaeus quando vixisse putandus sit, secundone an tertio post Christum saeculo, obscurior atque inpeditior quaestio est, quam in qua solvenda paucis hic defungamur. Illud observasse non paenitebit, in Theonis commemoratione praecipuum huius quam tractamus vitae positum esse momentum. Atque ordo quidem librorum Theonicus, quem praeter Honainum Gemaleddinus exhibet, is esse videtur, ut praepositis magnis illis ac multorum librorum scriptis, Politia et Legibus, reliqui dialogi, qui singulis libris continentur et tantum non omnes hominum inscribuntur nominibus, non temporis rationem sequantur, sed illud, *ἀπὸ ποίων διαλόγων δεῖ ἀρχομένους ἐντυγχάνειν τῷ Πλάτωνος λόγῳ*, ut verbis utar Albini isagog. 4. (6). *Οἱ μέν*, idem ait, *ἀπὸ τῶν Ἐπιστολῶν ἄρχονται, οἱ δὲ ἀπὸ τοῦ Θεάγους· εἰσὶ δὲ οἱ κατὰ τετραλογίαν διελόντες αὐτοὺς καὶ τάττουσι πρώτην τετραλογίαν περιέχουσαν τὸν Εὐθύφρονα καὶ τὴν Ἀπολογίαν καὶ τὸν Κρίτωνα καὶ τὸν Φαίδωνα*, qui est ordo Thrasylli (Laert. III, 56 sqq.) et Dercyllidis. Laertius III, 62 exposita Thrasylli tetralogiarum et Aristophanis Byzantii trilogiarum ratione: *ἄρχονται δὲ οἱ μέν, ὡς προείρηται, ἀπὸ τῆς Πολιτείας* (Arist. Byz.), *οἱ δ' ἀπ' Ἀλκιβιάδου τοῦ μείζονος* (Albin. 5 (8). Proculus et Olympiodorus comment. init.), *οἱ δ' ἀπὸ Θεάγους, ἔνιοι δ' Εὐθύφρονος, ἄλλοι Κλειτοφῶντος, τινὲς Τιμαίου, οἱ δ' ἀπὸ Φαίδρου, ἕτεροι Θεαιτήτου· πολλοὶ δὲ Ἀπολογίαν τὴν ἀρχὴν ποιοῦνται.* Ipsa librorum enumeratio manca quidem est ac mendosa propter inscitiam ac neglegentiam librariorum; habet quoque additamenta quaedam aliunde incognita et valde suspecta; indignus tamen vel Theonis caussa hic index erat, quem viri docti adhuc aut ignorarent aut nullius pretii ducerent. Sed videamus de singulis.

p) Honaini nomen et omnino interpretum interpretationumque memoriam posteri addiderunt. Addita iam invenitur apud Muhammedem Isaaci f., unde fortasse huc migravit cum ceteris huius vitae additamentis. — Pro *Politicorum*, si docte loqui volebant Pocockius, Casirius, Assemanus, debebant dicere *Politiae;* Arabice est *imperii.* Sed Barhebr. *Politicon*, v. Bernstein chrestomath. Syr. p. 4 sq.

q) Christianus Iacobita medicus et philosophus Bagdadi floruit saec. Xmo. Praeter hos Platonis, plurimos Aristotelis eiusque interpretum Graecorum libros in Arabicum convertit. Obiit a. 974, annos 81 natus, ut Honainum ne videre quidem potuerit, potuerit adulescens senem Isaacum, parumque accurate locutus videatur Gemaledd. ap. Casir. I p. 286. Cfr. Wüstenfeld Ar. Aerzt. p. 56 sq. Flügel interpr. p. 20 sq. Wenrich p. 118. Hammer-Purgstall LG. d. Ar. V p. 293 sq.

r) Scriptum est ارسطاطاليس, debuit ارسطا i. e. *Ἐρασταί.* Hunc enim dialogum indicari perspexit Wenrichius p. 119, modo ne dixisset, quod Arabica elementa respuunt, *Ἀντερασταί.* Scilicet ut Stagirita promiscue dicebatur ارسطوطاليس et ارسطو (ארסטוטלס et ארסטו), idem in altera scriptura sibi licere putabat librarius.

s) In Arabicis haud dubie legitur *Alcibiades.* Substituit Casirius *Hippiae* nomen; ad sententiam recte, inscribitur enim apud veteres Hippias maior *ἢ περὶ τοῦ καλοῦ.* Minoris alteram inscriptionem, ut eorum omnium qui Euthydemum excipiunt, Arabs omisit.

t) Decepit Casirium, Assemanum, Wenrichium اقناه, quod non intelligebant vitiose scriptum pro افياه (vel demta etiam He littera) i. e. *Ἱππίας.* Alcyonis neque duo libri sunt neque locus ullus in hoc indice, cuius a parte primaria omnes excluduntur quos excluserant tetralogiae Thrasylli. Adparet Alcibiades et Hippias sedes inter se mutasse.

u) Unius hoc Assemani vitium est; in Arabicis nihil peccatum. Post Gorgiam locum hic habuisse videtur Protagoras; est certe apud Wenrichium p. 120, qui Muhammedem Isaaci f. et Gemaleddinum sequi se profitetur.

v) In Arabicis est اسبن *(asîn)*; Gemaledd. ap. Casir. باسين *(basîn)*: unde qua ratione Theaetetus exsculpi possit, ipsi viderint. Ipse teneo quod dixi I p. 19, scribendum esse سمباسين *sumbasîn* i. e. *Συμπόσιον*, excidisse enim syllabam *sem* s. *sum*, quae significat Arabice *nomen*, qua voce cum interdum utantur, ut Graeci *ὄνομα*, in commemorandis nominibus propriis, omitti ea posse Graece nescientibus videbatur. Sic falsa articuli opinione curtata sunt nomina Eskander, Bokrat, Maciđorus, alia. Wenrichius p. 120 ex Muhammedis scriptura etiam peius corrupta *Ionem* finxit.

w) Quem hic *Philetum* Assemanus, *Philebum* Casirius scripsit, secundum elementa Arabica leviter corrupta scribendum esse *Theaetetum* vidit Wenrichius p. 120. Sed proximo loco vere *Philebi* intercidisse putaverim nomen, eiusque vestigium latere in scriptura nominis corrupta, cuius ut exitu designari videtur *Politicus*, (formis Arabicis hic abstinere cogor,) ita initio, quod est *phil*, *Philebus*.

x) Secludere uncis debuit Assemanus ista *scribendum Cratilus* et *scribendum Socrates*, ut fecerat auctor Casirius. Ac de Cratylo nihil est quod dubitetur; alter est *Sophistes*, quod occupare poterat Assemanus, — habent enim eius Arabica Phe, non Kaph, — nunc adnotandum reliquit Wenrichio p. 120. Idem auctore Muhammede Isaaci f. docet in Arabicum conversum fuisse hunc dialogum ab Isaaco Honaini f.

z) Castigavit is interpretationem Honaini, ut Honainus Iahiae Ibn el Batrik; Wenr. p. 118. De hoc autem Honaini fere aequali vid. Wüstenfeld A. A. p. 18 sq. Flügel interpr. p. 10 sq. Wenrich p. 102. — Ceterum cfr. n. dd.

aa) Arabice ماتن pro مانن i. e. *Μένων*. Vidit Wenrichius p. 121. Midon fuit *τῶν ὁμολογουμένως νοθευομένων*, quos enumerat Laertius III, 62.

bb) Hipparchi memoria non est in Arabicis Assemani. Sed nec a Thrasyllo receptum Theon videtur omisisse, nec a Muhammede et Gemaleddino commemoratum Honainus.

cc) Arabice est اطليطفوس. De Clitophonte assentitur Wenrich. p. 121, possetque ferri litterarum mutatio, nempe كليطفون, non nimis violenta, nisi etiam lenior esset haec mea اطلنطقوس i. e. *Ἀτλαντικός*, quod est alterum Critiae dialogi nomen; Laert. III, 50. 60. Athen. XIV p. 640 e. Procul. in Plat. Tim. I p. 56 e. 61 d. f. Ioh. Stob. florileg. 43, 64. 80, 11. Plut. Sol. 32. non posse suav. vivi sec. Epic. 10 all.

dd) Timaei libri vel sermones tres — nam Arabice est „liber Timaeus tres sermones", — non possunt esse nisi Timaeus et Critias dialogi cum Timaei qui dicitur Locri libro *περὶ ψυχᾶς κόσμω καὶ φύσιος*. At Timaeus dialogus iam commemoratus est in superioribus, Critias item proxime, tertius liber ne est quidem Platonis, quamquam ferri solet cum Platonicis. Ergo alterutro loco supervacua est mentio et insitiva, et quidem, ut ego opinor, priori, hac potissimum de caussa quod, cum in constituendo hoc librorum ordine Theonico inde a Theage ratio quaedam, ut breviter dicam, methodica valuisse videatur, qua discentium consuleretur studiis, Timaeum omnium difficillimum et a recentioribus Platonicis maximi habitum consentaneum erat in fine potius quam medium inter alios collocari. Accedit quod ista de Iahia-Ben-Adi castigatore i. e. emendatore adnotatio pertinet ad eam, quae apud Muhammedem Isaaci f. et in quibusdam Gemaleddini codicibus, — non enim certe in Casirii exemplo, — posteriori loco adscripta invenitur (Wenrich. p. 118), esse hunc Timaeum ab Ibn-Albatrik atque Honaino Isaaci f. conversum, sine qua cum ne stare quidem altera illa satis possit, probabile videtur, quod erat a docto quodam lectore in margine scriptum in ipsum textum, quem dicunt, inrepsisse, inde ad alios quoque scriptores manasse. — Et hic quidem finem esse puto indicis Theonici unis exceptis Epistolis, quas qui cetera adiecit ab extrema enumeratione removere noluit. Sunt autem enumerati dialogi: Politia, Leges, Theages, Laches, Amatores, Charmides, Alcibiades I et II, Euthydemus, Hippiae maior et minor, Gorgias, [Protagoras,] Euthyphro, Convivium, Phaedo, Crito, Theaetetus, [Philebus,] Politicus, Cratylus, Sophistes, (Timaeus,) Parmenides, Phaedrus, Meno, Minos, Hipparchus, Menexenus, Critias, Timaeus. Desunt ex Thrasyllianis Apologia, Lysis, Io, Clitopho, Epinomis; e quibus Lysis per litterarum quamdam ductuumque similitudinem videtur intercidisse post Lachetem, item Io fortasse post Convivium et apud Atlanticum Clitopho, nisi is aut pro Atlantico ponendus est aut cum Politia coniunctus fuit (cfr. Hippolyt. refut. haeres. I, 19 p. 542), ut cum Legibus Epinomis. Apologiae non habeo quem locum tribuam. Facilis autem erat omissio propter vocem *chetab*, quae librum significat, singulis dialogorum nominibus praepositam.

ee) Non expedio. An pro المناسبات (*analogiae* Steinius, *de proportionibus* Wenr. p. 121) scribendum المناسيب, ut significentur carmina amatoria, qualia Platonis feruntur apud Laertium III, 29 sqq. Apuleium apolog. 10. Athen. XIII p. 589 c. Gell. XIX, 11 pluresque in Anthologia Graeca.

ff) Additicii certe et hic liber et qui sequitur, sive alterae sunt dialogorum duorum inscriptiones, velut Sophistae et Parmenidis, sive Plotini libelli temere huc inlati.

gg) Deest in Arabicis Assemani *de substantia*.

hh) Additicius hic quoque titulus, nec male Philebus indicari videtur Wenrichio p. 121.

ii) Arabice مسطسطس, apud Wenrichium etiam Mim omissa. Id quid sit ignoratur; Mnesistratum, quem ex corrupta lectione Laertii III, 46 a Casirio arcessitum non modo Assemanus admisit, sed, licet dubitanter, etiam Wenrichius p. 121, eum, inquam, non esse, satis docui in Schneidewini Philologo III p. 58 sq.

kk) Wenr. p. 121 *de iuvenum institutione*, item Steinius. Additicius hic quoque liber, sive partes quaedam significantur Politiae et Legum, sive, quod equidem malim, libellus, qui Plutarchi esse traditur, *περὶ παίδων ἀγωγῆς*.

ll) Platonem geometriam maximi fecisse, ut et dixisse feratur *ἀεὶ γεωμετρεῖν τὸν θεὸν* (Plutarch. sympos. VIII, 2) et vetuisse quemquam ad se venire *ἀγεωμέτρητον* (Tzetz. chil. VIII, 973), notum est. Hinc *τοὺς παρὰ τῷ Πλάτωνι ἐν Ἀκαδημίᾳ γεωμέτρας* commemorat Eratosthenes ap. Eutocium ad Archimed. de sphaer. et cylindr. p. 21 Bas. 144 Oxon. (Bernhardy Eratosth. p. 177), plurimosque Proculus ad Euclid. elem. II p. 19 Bas. enumerat Platonis familiares ac discipulos qui geometriam promoverint, ipsius quoque philosophi laudans in eam merita: nec tamen, cum elementorum scriptores nominet, Platonem in iis ponit. Sed quod *ὁ στοιχειωτὴς* ille Euclides erat, ut ait Proculus p. 20, *τῇ προαιρέσει Πλατωνικὸς καὶ τῇ φιλοσοφίᾳ ταύτῃ οἰκεῖος* sumpseratque multa a Platonicis, et eius elementa ferebantur *ἐκ τῶν Θέωνος συνουσιῶν*, qui Theo, ut vocatur philosophus (Suid. *v. Θέων. Παππος. Ὑπατία*), ita certe per Hypatiam filiam erat philosophiae Platonicae adfinis (Socrat. hist. eccl. VII, 15), atque, si non erat, videri tamen poterat is esse qui libros Platonicos digesserat, eo dubito an factum sit ut aliquis intempestive doctus Elementa Platonicis adnumeraret.

mm) De aliis quae apud Arabes et Syros ferebantur scriptis Platonicis pseudepigraphis vid. Wenrich p. 119. 122. 125.

nn) Immo sic: *Theon ait: Plato digessit libros suos in methodum legendi talem ut singulae classes responderent libris quaternis.* Platonem dixit pro Thrasyllo et Dercyllide (Laert. III, 56 sqq. IX, 45. Albin. isag. 4 al. 6), et si qui forte his priores (Fabric. bibl. Gr. III p. 71 Harl. Martin ad Theon. Smyrn. de astron. p. 73.)

oo) Tempore Longimani natus floruit tempore Mnemonis et Ochi. Apud Barhebraeum pro Perse legendum docuit Bernsteinius ad Kirschii chrestomath. Syr. p. 4 Arsem, cui utroque loco quattuor anni inter Ochum et Dareum Codomannum dantur. De temporum ratione perturbata dixi I p. 17 sq.

pp) Arabice شتاسف *schtasph*, Graece *στάσπης*. Perspicuum est capite i. e. una littera truncatum esse et significari illum, qui apud Abulphedam hist. anteisl. p. 75 sq. Buschtasp, apud alios Kischtasp (Herbelot v. Kischtasb Ben Lohorasb) vocitatus, maiorem rerum gestarum et cum Zoroastre familiaritatis famam quam certiorem temporis memoriam reliquit; qui tamen cum Codomanni abavus fuisse tradatur (Asseman. bibl. Nan. p. 120), temporum ratio quominus idem qui Longimanus fuerit certe non recusat. In Firdusii Persae Libro Regio Vistaspa ei regi nomen est; cfr. Duncker Gesch. des Alterthums I p. 327 ed. II. Apud Herodotum Hystaspes et pater Darei vocatur et unus e filiis, neuter cum illius fabulis ullo modo coniunctus.

qq) Stemmata Platonis ex ipsius maximam partem mentionibus conficiebantur; habes praeter hunc apud Laertium III, 1 et Proculum ad Tim. 1 p. 25 e. sq., quo loco Theon quoque citatur, et in schol. Plat. Tim. p. 947 a. ed Turic. (364 Herm.) Fides penes auctorem esto; nos satis habebimus emendasse nomina corrupta.

rr) *Aristofalis* ارسطوفليس; *Aristoclis* ارسطوقليس.

ss) *Periction* باريقطيون; *Perictione* باريقطيوني.

tt) Apud Apuleium quoque dogm. Plat. I, 1 Glaucus dicitur, qui alias Glaucon, ac saepius ea nomina permutantur; cfr. Hildebrand ad Apul. l. l. Itaque emendare Arabica ut facile, ita ne opus quidem est.

uu) *Dorindus* دوريندوس; *Dropides* دروبيدوس. In exprimendis nominum Graecorum terminationibus barytonis *ης ος ιος* Arabes parum sibi constant. Hic genitivus *Δρωπίδου* scriptionis caussam aperit.

vv) Male intellexit locum Platonis Tim. p. 20 e: *ὡς ὁ τῶν ἑπτὰ σοφώτατος Σόλων ἔφη. ἦν μὲν οὖν οἰκεῖος καὶ σφόδρα φίλος ἡμῖν* (Critias loquitur) *Δρωπίδου τοῦ προπάππου, καθάπερ λέγει που καὶ αὐτὸς ἐν τῇ ποιήσει.*

ww) Arabice اقريطس. Nempe Arabes interdum nominibus a duabus consonis incipientibus Eliph praeponunt, cui Assemanus hic vocalem o indidit. Accuratius scripsisset اقريطياس. Timaei locus est p. 20 e. sq.

xx) Nomen ab Atthide veteri alienum, sed interpreti ecclesiastico tritius. Leviter corruptum est فلسترجيس ex قلايسخريس i. e. *Callaeschrus.*

yy) Pro بقطوني scribendum بوطوني i. e. *Πωτώνη.* Ea enim verior scriptura est quam *Ποτώνη.* Tuetur hic locus locum Laertii III, 1 a suspicione Cobeti verba *ἡ Ποτώνης* secludentis.

zz) *Codon* قاذون; *Codrus* قادرس. Apul. dogm. Plat. 1: *Ariston pater per Codrum ab ipso Neptuno originem duxit.* Laert. III, 1. *Φασὶ δὲ καὶ τὸν πατέρα αὐτοῦ ἀνάγειν εἰς Κόδρον τὸν Μελάνθου, οἵτινες ἀπὸ Ποσειδῶνος ἱστοροῦνται κατὰ Θράσυλλον.*

aaa) *Melinus* مالينوس; *Melanthus* مالنتوس. Graece modo *Μέλανθος* modo *Μελάνθιος* vocatur.

bbb) Abulpharag. فوسيديون *(Phusidiun)*, Barhebr. ܦܘܣܝܕܝܘܢ *(Pusidiun)*; scribendum erat altera i deleta فوسيدون *(Phusidun)* et ܦܘܣܝܕܘܢ *(Pusidun).* Apud Honainum legitur فيسدون *(Phisdun)* male collocata eadem i littera pro eo quod oportebat فسيدون vel فوسيدون *(Phasidun* vel *Phusidun).* Erravit igitur Pocockius, quod Posidonium

posuit pro Neptuno, errarunt eum sequentes et Brunsius, castigandus hic quidem potius quam Barhebraeus Kirschio, et Assemanus. Nec ego debui I p. 5 n. 9 hos locos iis adiungere, in quibus paronyma in *ιος* et *ius* exeuntia pro ipsis nominibus poni viderentur.

ccc) Bactios et Bactiam unde petiverit Assemanus non video. Arabice qui scribuntur بواطيا ita respondent Boeotiis, vix ut possint adcuratius. Quae sequitur narratio de Xanthi et Melanthi certamine singulari et Apaturiorum origine par est ei quae exstat in schol. Plat. Conviv. p. 960 a. ed. Turic. (259 sq. Herm.). Similia referunt schol. Plat. Tim. p. 947 (364 sq.) schol. Aristophan. Acharn. 146. Anecdot. Bekk. I p. 205. 416 sq. 605. Suidas et Eudocia v. *Ἀπατούρια*. Etymol. Magn. v. *Ἀπατούρια*. Psellus de caussarum nominibus p. 106 (Id. de operat. daem. ed. Boissonade.) Michael. Apostol. proverb. III, 31 Lentsch. sive Arsen. violar. p. 64 sq. Walz. Conon narrat. 39. Polyaen. strategem. I, 19. Frontin. strategem. II, 5, 41. (Strabo IX, 1, 7 p. 393. Harpocrat. v. *Ἀπατούρια*. Zenob. proverb. IV, 3. Schol. Arist. Pac. 890. Etym. M. v. *Κουρεῶτις*. Procul. in Plat. Tim. p. 27 e.) Cfr. Marx Ephori fragm. p. 119 sq. Naekii opusc. II p. 188 sq.

ddd) *Chianes* قيانيس; *Ξάνθος* قسانتس; idem etiam *Ξάνθιος* vocatur.

eee) *Amuthias* اوموطي *(Eumuti)*; *Θυμοίτης* تومطيس *(Thumutis)*.

fff) Verba *satis pugnatum est* elegantiae caussa addidisse videtur Assemanus. Schol. Plat. Conviv. p. 960: *ἀδικεῖς, ὦ Ξάνθιε, σὺν ἑτέρῳ ἐπ' ἐμὲ ἥκων καὶ οὐ μόνος, ὡς ὡμολόγητο.* Eadem, si non verba, at sententia apud reliquos; item in simili narratione de Phemio Aeniane et Hyperocho Inachiensi ap. Plutarch. quaest. Graec. 13. Neque pugnatur apud eos ante ista Melanthi verba, quae Arabs fortasse non satis intellexit.

ggg) Schol. Plat. Conviv. l. l.: *ὅθεν τοῖς Ἀθηναίοις κρατήσασι τῆς χώρας ἔδοξεν ἑορτὴν ἄγειν, ἣν πάλαι μὲν Ἀπατηνόρια, ὕστερον δὲ Ἀπατούρια ἐκάλουν ὡς ἀπὸ τῆς γενομένης ἀπάτης.* Quae dicit interpres *Apachinuria*, Arabice scribuntur اباحينوريا; sed credo puncto uno addito auctorem voluisse اباجينوريا, quae sunt *Ἀπαγηνορια*: siquidem legerat ille *ΑΠΑΓΗΝΟΡΙΑ* pro *ΑΠΑΤΗΝΟΡΙΑ*. Apaturia Assemanus sine caussa h littera auxit.

hhh) Apuleius dogm. Plat. I, 1: *Sunt qui Platonem augustiore conceptu prosatum dicunt, cum quaedam Apollinis figuratio Perictione se miscuisset.* Laert. III, 2: *Σπεύσιππος δ' ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Πλάτωνος περιδείπνῳ καὶ Κλέαρχος ἐν τῷ Πλάτωνος ἐγκωμίῳ καὶ Ἀναξιλαΐδης ἐν τῷ δευτέρῳ περὶ φιλοσόφων φασὶν ὡς Ἀθήνησιν ἦν λόγος ὡραίαν οὖσαν τὴν Περικτιόνην βιάζεσθαι τὸν Ἀρίστωνα καὶ μὴ ἐπιτυγχάνειν, παυόμενόν τε τῆς βίας ἰδεῖν τὴν τοῦ Ἀπόλλωνος ὄψιν, ὅθεν καθαρὰν γάμου φυλάξαι ἕως ἀποκυήσεως.* Olympiodorus p. 191 Herm.: *φασὶν οὖν ὅτι φάσμα Ἀπολλωνιακὸν συνεγένετο τῇ μητρὶ αὐτοῦ τῇ Περικτιόνῃ, καὶ ἐν νυκτὶ φανὲν τῷ Ἀρίστωνι ἐκέλευσεν αὐτῷ μὴ μιγνύναι τῇ Περικτιόνῃ μέχρι τοῦ χρόνου τῆς ἀποτέξεως, ὁ δ' οὕτω πεποίηκεν.* Idem narrant Origenes contr. Cels. I, 37. VI, 8 et Hieronymus adv. Iovinianum I p. 35 (Vol. II ed. Francof.), ostendentes fere easdem fecisse in generando Platone Platonicos partes Aristonis et Perictionae, quas Christianos in Iesu Christo Iosephi et Mariae. Sapienter de illa narratione dixit Plutarchus sympos. VIII, 1, 2. 3.

iii) Vide not. d. et i. kkk) Confusas iam apud ipsos scriptores Graecos perturbatasque de Platonis in Siciliam itineribus narrationes confuso apud hunc cum Pythagora Socrate etiam peius perturbari atque corrumpi vix est quod mireris. Et hic quidem cogitari possit de aliis praeter Platonem Socraticis, velut Aristippo et Aeschine, in Dionysii sive maioris sive minoris aula versantibus, (Suid. v. *Αἰσχίνης* et *Ἀρίστιππος*. Laert. II, 61. 63. 66—69. 73. 75. 77—83. III, 36 c. n. Menag. Plutarch. Dion. 19. de adul. et amic. 26. Athen. XI p. 507 b. XII p. 544.), malim equidem de Archyta et Pythagoreis Tarentinis. Olympiodorus p. 193 (de quo loco cfr. Zschr. f. d. Alterth.-Wissensch. X, 2 c. 135): *μετὰ τοῦτον πάλιν στέλλεται εἰς Ἰταλίαν καὶ διδασκαλεῖον εὑρὼν ἐκεῖ τῶν Πυθαγορείων συνιστάμενον Ἀρχύταν πάλιν ἔσχε διδάσκαλον τὸν Πυθαγόρειον .... ὁμώνυμον ἔνθα καὶ Ἀρχύτου μέμνηται.* Plura adferre non vacat.

lll) Vid. not. i. mmm) Vid. not. k.

nnn) Immo centum minis seu decem millibus denarium; Laert. III, 9. VIII, 15. Iamblich. vit. Pythag. 199. Tzetz. chil. X, 803. XI, 3. 40. Gell. III, 17. Auctor prolegomenon p. 201 *ἑπτὰ ἀργυρίων ὠνησάμενος*, ubi *ἑπτὰ* mutandum videtur in *ἑκατὸν* et *ἀργυρίων*, quamvis nolente Hermanno p. XXIX, in *ἀργυρέων* i. e. *μνῶν*. Quadraginta minas Alexandrinas dixit Hermippus ap. Laert. VIII, 85, quarum de ratione cfr. Böckh. metrolog. Untersuch. p. 151. 156. Sed quae voces apud veteres prope idem valebant, *drachma* et *denarius*, ita apud Arabes separatae sunt, ut *dirhem* argenteus nummus sit, quales XX vel XXV continet *dinar* aureus, denominatus a Romanorum denario aureo (Mommsen Gesch. d. röm. Münzwesens p. 751 n. 35). Iam si verum sit, quod negat Boeckhius (Staatshaushalt. d. Athen. I. p. 38 sq. ed. alt.; cfr. Hultsch ad metrolog. script. reliq. II p. 197), recte legi apud Polluc. onom. IX, 57, aureum staterem minam valuisse i. e. minae nomine et ipsum esse adpellatum, intelligi possit, quo pacto in denarios aureos abierint minae; nunc casui rem tribuere praestat. Quamquam illud quoque videtur adferri posse, quod hortus Academiae triginta minis emptus (Plut. de exil. 10) ternos aureos reddebat (Suid. v. *Πλάτων ὁ φιλόσοφος*), qui si pro ternis minis dicti sunt, fructus decumanus erat. Casirius minas pro denariis utrum invenerit an substituerit excerpta mea non indicant.

ooo) De Aetnae crateribus visendis, quae res pertinet ad locum Phaedonis p. 111 e, consentiunt Apulei. dogm. Plat. 4. Laert. III, 18. Athen. XI p. 507 b. Olympiodor. p. 193. Auct. prolegom. p. 199. Ceterum in ipsis Arabicis hic neque Aetna nominatur neque crateres, sed, Steinio interprete, *ignis veniens ibi ex terra assidue, qui tenuis est aestate et augescit hieme.* De ignibus Aetnaeis hieme largibribus quem auctorem secutus sit, nondum inveni. Observatum est maiorum eruptionum plurimas incidere in Februarium et Martium menses; vid. Muncke in Gehleri physikal. Wörterbuch v. Vulcane t. IX, 3 p. 2213; Strongylenque et Aetnam maxime laborare Novembri et hibernis mensibus; v. Humboldt Kosmos IV p. 296. ppp) Vid. not. kkk.

qqq) In tota hac de Dionysio narratione interpres Assemanus elegantiae se studiosiorem praebuit quam fidei. Verba auctoris, ut unum hoc exemplum adferam, haec sunt secundum Steinium: *Et disseruit Plato de philosophia, eratque disertus et oratione suavis, perspicuum faciens quid vellet de eius instituto in quo esset. Et dixit in parte orationis, meliorem esse viam ac praestantiorem quae esset per leges. Et putavit tyrannus Dionysius se peti his verbis, quod imperium haberet non iure sibi debitum. Et studebat tyrannus poesi et alicui sapientiae diversae a veritate erantque ei discipuli in ea et socii.* Sophisticam postremis verbis significari bene perspexit Assemanus, cui operam dedisse Dionysium etsi non est diserte traditum, tamen, florentibus ea aetate in Sicilia conditoribus eius artis atque Gorgia, non est per se incredibile, quamquam de sociis eius verius dicendum erat quam de discipulis. De dicto Platonis alii aliter referunt; cfr. Laert. III, 18. Plutarch. Dion. 5. Olympiodor. p. 193. Fingebantur talia, neque id certe, quod est apud Honainum, Platone indignius.

rrr) Narratiunculam lepidam corrupit Arabici ingenii a Graeco diversitas et poesis pariter ac religionis Graecae ignoratio. Ac nomen quidem quod est *Ἡρακλᾶς*, ut non est magis spernendum quam *Δημᾶς Ἑρμᾶς Ζηνᾶς* alii, et quidam philosophus nomine Heraclas fuisse dicitur inter discipulos Ammonii Saccae (Parthey alexandrin. Museum p. 214), ita hoc loco debetur Assemano; est enim in Arabicis aperte *Ἡρακλῆς* i. e. Hercules. Quem quidem ipsum philosophum Socraticum, minus facete quidem quam suum ille in satura Herculem Socraticum Varro, sed tamen facere conati sunt Arabes propter illud in Cebetis Tabula bis terve positum *ὦ Ἡράκλεις* (Salmas. praefat. ad Ceb. Tab. ed. Elichmann p. 8. Wenrich p. 40); poetam vero ubi fecerint praeter hunc locum non inveni. Nec fuit umquam, si quid video, quisquam hoc nomine poëta mortalis, quamvis deorum nomina nonnumquam mortalibus indita fuisse doceat Keilius in Specimine onomatologi Graeci. Sed poeta, ni fallor, fuit ipse Dionysius Herculis laudes atque in caelum elati felicitatem praedicans; cui aliquis e philosophis videtur respondisse, quamvis felix apud Olympios esse diceretur Iovis filius Hercules tot laboribus superatis, miserum tamen esse etiam post mortem eo quod in gravissimum omnium ac Lernaeis capitibus difficiliorem laborem infinitis malorum poetarum carminibus incidisset. Videor tale quid alicubi legisse, sed non est in promptu locus. Sed sive illud ego conieci probabiliter, sive certius aliud explorabitur, particula narrationis videri potest illud apud Olympiodorum p. 193: *τοῦ Διονυσίου ἐρομένου αὐτόν, τίνα νομίζεις ἐν ἀνθρώποις εὐδαίμονα εἶναι*; (cfr. Plut. Dion. 5), particula etiam, quod factitatam a se artem poeticam abiecisse traditur Plato adulescens et quod a civitate sua poetas exclusit philosophus. Accedere poterant quae de Philoxeno et Antiphonte tyranni poemata vituperantibus fabulae feruntur. Carmina denique in delubris Siciliae suspensa dixit ad similitudinem veterum illorum carminum aetatis anteislamicae, quae, quod erant Meccae ad portas Caabae, sanctissimi Arabum delubri, suspensa, dicuntur Moallakât (Herbelot v. Moallakat), quo ipso vocabulo hic quoque auctor usus est.

sss) *Πόλλις* hic apud Graecos vocatur (Laert. III, 19. Plutarch. Dion. 5. Olympiod. p. 193;) cuius nominis similia multa sunt hypocoristica, ut *Τέλλις, Φίλλις, Πόσσις, Στράττις*, alia. Apud Tzetzen chil. X, 863. 872. 995. *Πῶλις* dicitur cum lusu quodam verbi quod est *πωλεῖν* (v. 872): certe ad eam rationem, qua huiusmodi nomina non geminata consonanti sed producta vocali fiunt, ut *Δοῦρις, Λῦσις, Φαῖνις* alia, illud non adcommodatur. Arabes, cum in casus obliquos nominis incidissent, finxerunt rectum *Bolidus*, *p* littera carentes et geminatione abstinentes, a quo est ille Assemani dativus *Polido*. A Casirio paullo doctius peccatum est. Recte autem hic scriptor Pollidem dixit Lacedaemonium cum Laertio III, 19 sq. Aristide 46 p. 233. Tzetz. X, 995; est enim ille nauarchus Lacedaemoniorum ap. Xenoph. Hellen. IV, 8, 11. V, 4, 61 et Diodor. XV, 34; minus recte Gemaleddinus cum Olympiodoro Aeginetam, quamquam socii tum erant Aeginetae Lacedaemoniorum.

ttt) Debuit Casirium sequi Assemanus aut emendatiori utentem codice aut perspicientem mendose scriptum esse اغاثيا *(Agathia)* pro اغينا *(Aegina)*. Vid. Laert. Plutarch. Olympiod. ll. ll.

uuu) *Ambarus* vel *Amporius* انباروس; sed verum vidit Casirius. Videtur scriptum fuisse انيكروس, quo indicatur *Anniceris*, deterius sane quam Vau omissa. Quamquam etiam apud Aristidem erat *Ἀννίκερος*. Eum Platonis redemptorem commemorant praeter Laertium et Olympiodorum Aristides 46 p. 234. Suidas v. *Πλάτων*. Lactantius instit. divin. III, 25. De pretio Laertius III, 20 *εἴκοσι μνῶν, οἱ δὲ τριάκοντα*, Lactantius *HS VIII*. Diodorus XV, 7 *μνῶν εἴκοσιν* venditum a Dionysio narrat. Cyrenaicum Assemanus non satis adcurate dixit pro Cyrenensi; alius enim est Cyrenaicus Anniceris ap. Laert. II, 86 (ubi insitivum est illud *ὁ τὸν Πλάτωνα λυτρωσάμενος*). 96. 98. Suid. v. *Ἀννίκερις*, sectae conditor et Alexandri magni aequalis, alius hic Cyrenensis homo dives et fautor magis philosophi quam philosophus, de quo cfr. etiam Aelian. var. hist. II, 27. Lucian. encom. Demosth. 23. — Illud bene, quod in Arabicis *Schirvan*, quae est regio Caspia Cyro et Araxi fluminibus adiacens, vidit corruptum ex *Karvani* i. e. Cyrene.

vvv) Laertius III, 20: *Λυτροῦται δὴ αὐτὸν κατὰ τύχην παρὼν Ἀννίκερις ὁ Κυρηναῖος εἴκοσι μνῶν, οἱ δὲ τριάκοντα, καὶ ἀναπέμπει Ἀθήναζε πρὸς τοὺς ἑταίρους· οἱ δ' εὐθὺς τἀργύριον ἐξέπεμψαν, ὅπερ οὐ προσήκατο, εἰπὼν μὴ μόνους ἐκείνους ἀξίους εἶναι Πλάτωνος κήδεσθαι· ἔνιοι δὲ καὶ Δίωνα ἀποστεῖλαί φασι τὸ ἀργύριον καὶ τὸν μὴ προσέσθαι· ἀλλὰ καὶ κηπίδιον αὐτῷ τὸ ἐν Ἀκαδημίᾳ πρίασθαι.* Hortulum Academiae tribus millibus drachmarum i. e. triginta minis emtum dicit Plutarchus de exil. 10; quem ternos aureos reddidisse legimus ap. Suidam: vid. n. nnn. Idemne fuit, quem Speusippo Dionem donasse scribit Plutarchus Dion. 17? — Cyrenaei responsum sic fere interpretatus est Steinius: *Hic est vir sapiens, et si maxima mihi numerunda sit pecunia, redimam eum a vinculis et certo ille redibit in patriam salvus atque incolumis.*

www) Laertius III, 21: *οὐ μὴν δ' ἡσύχαζεν ὁ Διονύσιος· μαθὼν δ' ἐπέστειλε Πλάτωνι μὴ κακῶς ἀγορεύειν αὐτόν. καὶ ὃς ἀντεπέστειλε μὴ τοσαύτην αὐτῷ σχολὴν εἶναι ὥστε Διονυσίου μεμνῆσθαι.* At apud Plutarchum Dion. 20 Plato, cum tertium in Siciliam venisset, Dionysio minori coram respondisse dicitur: *μὴ τοσαύτη λόγων ἐν Ἀκαδημίᾳ γένοιτο σπάνις, ὥστε σοῦ τινα μνημονεῦσαι.* Assemanus orationem sumpsit ab Ambrosio Laertii interprete. Arabs sic respondentem Platonem facit: *Non est mihi ea vacuitas, nec invenio otium quo Dionysii reminiscar.*

xxx) Perperam intellexit scriptor Graecum auctorem eum, opinor, a quo fluxit illud Apulei de dogm. Plat. 4: *secundo, petitu Dionysii, ut Syracusanis assisteret profectus et ut municipales leges eius provinciae addisceret.* Laertius III, 21: *δεύτερον πρὸς τὸν νεώτερον ἧκε Διονύσιον αἰτῶν γῆν καὶ ἀνθρώπους τοὺς κατὰ τὴν πολιτείαν αὐτοῦ ζησομένους· ὁ δὲ καίπερ ὑποσχόμενος οὐκ ἐποίησεν.* Sanius Plutarchus philos. c. princ. 4: *καὶ Πλάτων εἰς Σικελίαν ἔπλευσε ἐλπίζων τὰ δόγματα νόμους καὶ ἔργον ποιήσειν ἐν τοῖς Διονυσίου πράγμασιν.* Cfr. Plat. epist. 7 p. 328 c. Plut. Dion. 11. Menag. ad Laert. l. l. Hermann Gesch. u. Syst. d. Plat. Philos. I p. 117. — De seditione quod sequitur satis prope, ut in homine istius et gentis et aetatis, ad ea accedunt, quae ipsi veteres de orta illis temporibus Dionem inter et Dionysium simultate prodiderunt.

yyy) Laertius III, 23: *τρίτον ἦλθε διαλλάξων Δίωνα Διονυσίῳ. οὐ τυχὼν δὲ ἄπρακτος ἐπανῆλθεν εἰς τὴν πατρίδα, ἔνθα πολιτείας μὲν οὐχ ἥψατο, καίτοι πολιτικὸς ὢν ἐξ ὧν γέγραφεν, αἴτιον δὲ τὸ ἤδη τὸν δῆμον ἄλλοις πολιτεύμασιν ἐνειθίσθαι.* Sequitur Pamphilam in commentariorum libro XXV scripsisse, *ὡς Ἀρκάδες καὶ Θηβαῖοι Μεγάλην πόλιν οἰκίζοντες παρεκάλουν αὐτὸν νομοθέτην· ὁ δὲ μαθὼν ἴσον ἔχειν οὐ θέλοντας οὐκ ἐπορεύθη*, quod idem narrat Aelianus var. histor. II, 42. Similiter de Cyrenaeis Plutarch. ad princip. inerud. 1. Adparet rivulum ex quo hauriebat Honainus eodem ex fonte quo Laertianum manasse. Illud vero, qui de Platonis scriptorum ordine atque aetate disputant, velim cogitent quam sit non modo ad fabularum illarum, si sunt fabulae, originem perspiciendam sed ad ipsam rei veritatem convenienter dictum, quod est apud Gemaleddinum, desperatis demum rebus Siculis Platonem suos Legum libros scripsisse.

zzz) Laertius III, 46: *μαθηταὶ δ' αὐτοῦ .... καὶ ἄλλοι πλείους σὺν οἷς καὶ γυναῖκες δύο, Λασθένεια Μαντινικὴ καὶ Ἀξιοθέα Φλιασία, ἣ καὶ ἀνδρεῖα ἠμπίσχετο, ὥς φησι Δικαίαρχος.* Apulei, Athenaei, Clementis Alexandrini, Themistii, Olympiodori de his feminis locos refert Menagius ad h. l. Easdem hic quoque nominat scriptor, nam *Alsatia* الستايا est *Lasthenia* لاستانيا; *Amutia* اميوثيا est *Axiothea* اقسيوثيا, et pro فيليبس, quod *Philippi* nomen esse potest, vix dubium est quin scriptum fuerit فليس i. e. *Phlius.*

A) Laertius III, 46: *μαθηταὶ δ' αὐτοῦ Σπεύσιππος Ἀθηναῖος, Ξενοκράτης Χαλκηδόνιος, Ἀριστοτέλης Σταγειρίτης, Φίλιππος Ὀπούντιος, Ἑστιαῖος Περίνθιος, Δίων Συρακόσιος, Ἄμυκλος Ἡρακλεώτης, Ἔραστος καὶ Κορίσκος Σκήψιοι, Τιμόλαος Κυζικηνός, Εὐαίων Λαμψακηνός, Πείθων καὶ Ἡρακλείδης Αἴνιοι, Ἱπποθάλης καὶ Κάλλιππος Ἀθηναῖοι, Δημήτριος Ἀμφιπολίτης, Ἡρακλείδης Ποντικὸς καὶ ἄλλοι πλείους.* Quem locum cum Gemaleddiniano contuli lectt. Abulph. I p. 18. Accedit nunc e papyris Herculanensibus alter locus scriptoris incerti de successione scholae Academicae misere laceratus, de quo bene meruerunt Leonardus Spengelius et Hermannus Sauppius in Philologi supplementis II p. 537 sq. — Nomina apud Arabes corrupta ea tantum attingam, quae Casirius, quem secutus est Assemanus, falsis permutavit.

B) Proclus Nithinensis deest apud Graecos; deest apud Arabes Philippus Opuntius, ille qui Platonis Leges transcripsisse et Epinomida adiecisse traditur (Laert. III, 36. Suid. v. *Φιλόσοφος*; cfr. Boeckh in Plat. Minoem p. 73 sqq.) Sed haud ambigue scriptus est in Arabicis Proclus برقلوس, ac mihi visus idem esse apud Plutarchum sympos. V, 3, 3 *Προκλῆς* (al. *Πατροκλῆς*) *εἷς τῶν ἐν Ἀκαδημίᾳ Ξενοκράτει συσχολασάντων*, minus dubie hic quidem quam is qui postea Aristotelis factus est gener (Sext. Emp. adv. grammat. 258). Certum est autem pro nominibus in *κλῆς* exeuntibus saepe posita esse exeuntia in *κλος*; v. Bast. comment. palaeogr. p. 717. At pro نيطس si scribatur ابنطس, adparent indicia nominis quod est *Ὀπούντιος*. Neque enim raro accidit Arabibus, cum pro ethnicis uterentur periphrasi quae est *e populo* sequente nomine loci, in minus notis pro urbis nomine ipsum ethnicon ponerent. Accedit quod alterum illud nomen a Casirio positum et ab Assemano receptum nullius, quod quidem sciam, urbis est. Superest ut locus lacuna affectus videatur et propter iteratas voces *e populo* Procli intercidisse nomen patriae, Opuntii autem ipsum hominis nomen Philippus, legendumque sit *Proclus [—, Philippus] Opuntius.*

C) Nicolaus Platonis discipulus aliunde mihi incognitus. Nec نيقولاوس scriptum est, ut fere alibi solet, (quamquam falli videtur Meyerus ad Nicol. de plant. p. XVII), sed انقلاس *Anklas*, quo probabile est indicari *Ἄμυκλον*, qui

alibi *'Αμύκλας* vocatur Procul. in Euclid. elem. II p. 1[illegible] Aelian. var. hist. III, 19. Suid. v. *'Ισοκράτης*. Laert. IX, 40; atque in papyro Herculanensi quod scriptum esse fertur *'Αμ[illegible]ας*, non aliud puto quam male lectum nomen *'Αμύκλας*.

D) Aristeani nulli sunt. In Arabicis Ca[illegible] est ارسطون i. e. Nun mutato in Sin *Έραστος*, quod prorsus comprobatur scriptura libri Naniani وارسطوس i. e. *[illegible] Έραστος*. Intercidit post illud *e populo* nomen Heracleae, ab eisdem incipiens litteris Eliph Re. Legendum igitur: *A[illegible]yclas Heracleensis*, (vel *Heracleota*,) *Erastus et Coriscus Scepsii*.

E) [illegible]sem [illegible] poneret Menedemum, qu[illegible] si fuit Platonis discipulis, certe peradulescentulus fuit (Philol. IX p. 38), — eum igitur [illegible] poneret aliqua excusatio fuit C[illegible]rio a sui codicis scriptura corrupta برايوثن, non fuit Assemano a libri Naniani lectione برايوس, qua haud dubie indicatur *Πυρραῖος*. De Menedemo Pyrrhaeo Platonis discipulo locis Plutarchi et Porphyrii (p. 8 ed. Nanck), quos exscripsi Philolog. IX p. 37, accedunt duo scriptoris Herculanensis, alter in indice discipulorum p. 537: . . *ΛΚΣ . ΜΟΣ ΠΥΡ|ΡΑ . . Σ* i. e. *[ΜΕ]ΝΕΔ[Η]ΜΟΣ ΠΥΡΡΑΙΟΣ*, alter de successione Academica p. 538 *Μενεδήμου δὲ τοῦ Πυρραίου καὶ Ἡρ[illegible]ίδου τοῦ Ἡρακλεώτου παρ' ὀλίγας ψήφους ἡττη[θέν]των*.

F) Pro Philone in Arabicis est *Phalius* فاليوس, qui esse debuit قاليبوس i. e. *Κάλλιππος*. De Calippo Atheniensi Platonis discipulo praeter Laertii locum vid. Athen. XI p. 508 e. f. Plutarch. Dion. 17. 54 sqq. et quos attulit Nipperdeius ad Nepot. 10, 8, 1. Fuit primum familiaris Dionis, deinde caedis auctor.

G) Vid. not. f. H) Vid. not. h.

I) In testamento, quod est ap. Laert. III, 41-43, duos se relinquere scribit Plato agellos, alterum *ἐν Ἡφαιστιαδῶν* (Cobet. *'Ιφαιστιαδῶν*), alterum *ἐν Εἰρεσιδῶν* (—*ῶν*), praeterea *ἀργυρίου μνᾶς τρεῖς, φιάλην ἀργυρᾶν ἕλκουσαν ἑκατὸν ἑξήκοντα πέντε, κυμβίον ἄγον τεσσαράκοντα πέντε, δακτύλιον χρυσοῦν καὶ ἐνώτιον χρυσοῦν ἄγοντα συνάμφω τέσσαρας δραχμὰς ὀβόλους τρεῖς*. Apuleius dogm. Plat. 4: *Patrimonium in hortulo qui Academiae iunctus fuit et in duobus ministris et in patera qua diis supplicabat reliquit; auri tantum quantum puer nobilitatis insigne in auricula gestavit.* Notandum vero est quod Assemani interpretatio tantum abest ut sit *servilmente letterale*, ut, exceptis servis et aetatis anno, ipsa Pocockii Abulpharagium interpretantis verba referat. Honaini haec sunt secundum Steinium: *Actisque aetatis annis uno et octoginta obiit et sepultus est in hortis duobus in Academia. Atque haec sunt ex eius bonis relicta, horti duo, de quibus dictum est, et e rebus possessis et poculum et inauris ex auro, quae erat ex ornatu eius ornatus nobilium Graecorum.* Ostendit *et* particula ante *poculum* periisse per homoeoteleuton exitus dualis eo loco servorum duorum mentionem, quae est apud Apuleium et Abulpharagium Barhebraeum. Servos quidem re vera Plato reliquit quattuor, nominatos in testamento apud Laertium, sed idem hic iam antiquitus accidisse videtur, quod dixi not. h, ut nota numeralis *δ'* et conpendium vocis *δύο* inter se permutarentur. Nec Seneca, quod scripsit consolat. ad Helv. 12 *tres* Platoni servos fuisse, codice usus esse videtur incorrupto, nisi ab ipso pro *III* scriptum fuit *IIII*. — De inauribus Atticae nobilitatis insigni quod Arabes et Apuleius consentiunt, antiqui testimonii loco habendum putaverim. Quamquam in re tam singulari dubitet aliquis an confictum id sit ex testamento laudandi caussa contra obtrectatores, secundum quos dictum sit quod est apud Sextum Empiricum adv. grammat. 258: *Πλάτων . . . . καὶ ἐτέτρητο τὸ οὖς ἐλλόβιον φορήσας ὅτ' ἦν μειρακίσκος*. Cfr. Xenoph. anab. III, 1, 33; nisi barbarorum fuit ambas aures perforatas habere, Graecorum unam. — Ager a Leonide ademtus Platoni, anulus a Philippo, figmenta sunt Theophylacti epist. 40.

K) In Steinii interpretatione non *fratris* sed *sororis* filias invenio. De ipsa re non videtur alibi memoriae proditum.

L) Laert. III, 43: *ἐπεγράφη δ' αὐτοῦ τῷ τάφῳ ἐπιγράμματα τάδε · πρῶτον,*

Σωφροσύνῃ προφέρων θνητῶν ἤθει τε δικαίῳ
ἐνθάδε κεῖται ἀνὴρ δῖος Ἀριστοκλέης.
εἰ δέ τις ἐκ πάντων σοφίης μέγαν ἔσχεν ἔπαινον,
οὗτος ἔχει πλεῖστον, καὶ φθόνος οὐχ ἕπεται. (Anthol. Pal. VII, 60).

M) Laert. III, 44: *ἕτερον δέ,*

Γαῖα μὲν ἐν κόλποις κρύπτει τόδε σῶμα Πλάτωνος,
ψυχὴ δ' ἀθανάτων τάξιν ἔχει μακάρων. (Anthol. Pal. VII, 61.)

Omiserunt quae sequuntur: *υἱοῦ Ἀρίστωνος, τόν τις καὶ τηλόθι ναίων | τιμᾷ ἀνὴρ ἀγαθός, θεῖον ἰδόντα βίον.* Vel potius expresserunt epigramma unius distichi, quod Speusippi nomine fertur in Anthologia Graeca (Pal. XVI, 31):

Σῶμα μὲν ἐν κόλποις κατέχει τόδε γαῖα Πλάτωνος,
ψυχὴ δ' ἰσοθέων τάξιν ἔχει μακάρων.

Cfr. Osann Beitr. z. Griech. u. Röm. Litteraturgesch. I. p. 309. Totum tetrastichon posterius in Anthologia *ἀδέσποτον* est, prius Simmiae Rhodio tribuitur, qui grammaticus et poeta Ptolemaei Soteris tempore floruit.

Haec habui quae adnotarem. In quibus cum alios libros multos aegre desideravi, tum Ernesti Renani illum de philosophia Peripatetica apud Syros, qui saepius expetitus a. d. VII Kal. Iul. in manus meas nondum pervenit. Sed hoc tamen effecisse me velim, ut haec Platonis vita ab Honaino primum scripta, ab aliis aucta, eisdem niti auctoribus quibus Laertius et Apuleius eoque non contemnenda esse videatur.

R.